

Filippo Beroaldo

## **Philippi Beroaldi Bononiensis Symbola Pythagorica tropologice & moraliter explicata**

Rostochii: Reusnerus, 1604

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730111792>


Druck Freier  Zugang





El-3164.





PHILIPPI  
BEROALDI  
BONONIENSIS

*SYMBOLA PYTHAGORICA  
tropologicè & moraliter  
explicata.*

Nunc primùm è tenebris, quibus pro-  
ximo seculo obruta fuère, luci, mendis  
sublatis, restituta; & materiarum  
summulis sparsim interpo-  
sitis illustrata.

*Studio & operâ*

PETRI FABRICII  
Rostochiensis.



ROSTOCHII

Excudebat Christophorus Reufnerus,  
ANNO cl<sup>o</sup>, l<sup>o</sup>. CIV.

E. 6 - 3164.



PETRI FABRICII  
Rostochiensis

ROSTOCHII

Christophorus Rostochius  
ANNO MDCLXIV



INGENIOSO ET MODESTO

JUVENI,

IOACHIMO

SCHILLING, Rosto-

chiensi, discipulo carissimo,

perennem salutem pre-

catur

PETRVS FABRICIVS R.



*Non libet longum du-  
cere exordium; or-  
diar à re ipsa. Ma-  
gnum est meum in-  
te, Ioachime, & tui similes, stu-  
dium. Quam mihi carus sis, &  
quibus de causis, non commemora-  
bo. Etenim quod pietatis parentis  
in filium officium est, idem esse  
debet ejus, qui parentis loco est  
constitutus; ad eandem enim me-*

andig

2 (:)

tam



PR AEFATIO

*tam viâ tendunt haud dissari. Ut ergò manifestius appareat hoc meum in te studium; volui mutuae pietatis & amoris, meaq; imprimis in te fidei & benevolentiae symbolum & testimonium relinquere, quod esset etati tuae aptum, & officio meo accommodatum, quod in praeceptis institutisq; virtutum & honestatis consistit.*

*Fortè sub hoc idem tempus, aurea illa & pœnè divina sapientissimi Pythagoræ symbola, doctè, graviter & eleganter explicata, quibus salutaria vitae ac morum praecepta continentur, sed breviter, opertè & enigmaticè, sub manibus habui, & quoniam ad benè beateq; vivendum non parùm conducere arbitrabar, è tenebris quibus*

PRAEFATIO

quibus superiori saeculo delitue-  
runt, revocata, & novo quasi ha-  
bitu induta, atq; à mendis, quibus  
scatebāt quāplurimis purgata luci  
restitui; summas quoq; seu lem-  
mata, ut vocant, formavi & spar-  
sum interposui, ut quid singulis lo-  
cis memoriā præcipuè scituq; di-  
gnum occurrit, uno intuitu lustre-  
tur faciliusq; imbibatur.

Sunt hæc symbola ex eo doctri-  
narum genere, de quo Lyricus ait;

Quicquid præcipias, esto bre-  
vis, ut citò dicta

Percipiant animi dociles, te-  
neantq; fideles.

Hæc symbolica vitæ documen-  
ta salubriora sunt, & efficacio-  
rem vim habent, & fructum ube-  
riorem fundunt, quàm ingentia

(:)

Philo-

PRAEFATIO

*Philosophorum de moribus volumina. Hec leges imitantur, parca sunt verborum, fecunda sententiarum, aliud sonantia, aliud significantia, ijs litteris similia, quae ab Aegyptijs hieroglyphica nominata, arcana sapientiae continebant. Solent symbola Emblematis ornari. Est autem emblemata, quicquid inseritur ornatus gratia, non modo vasis, sed & abacis, auleis, parietibus, vestimentis, quibus clarorum virorum aedificia ornata conspici solent, posthabitis turpium & impurarum rerum & actionum signis & imaginibus, ex quibus unguibus leones agnoscuntur. Sic pietatis filiorum in parentes symbolum est, si duo iuvenes, iugo subjecti, currum tra-*

PRÆFATIO

rum trahentes, in tabellâ picti  
 conspiciantur. Sic boni & incor-  
 rupti iudicis symbolum & hiero-  
 glyphicum est, statua absq̃ mani-  
 bus, quæ Thebis conspici solita est.  
 Hæc symbola Pythagoræ, doctri-  
 nam & mores tuos, maximè vero  
 vitæ rationem prudenter infor-  
 mabunt, de quâ libet paulo fusius  
 hîc tecum agere.

Tota vitæ tuæ ac studiorum  
 ratio atq̃ norma in tribus versari  
 mihi videtur. Primùm, ut scias,  
 quo animo ergà humaniores litte-  
 ras affectus esse, quemq̃ in Mu-  
 sarum stadio cursum sequi &  
 quousq̃ debeas. Deinde, quo ho-  
 nore quibusve officijs parentes,  
 præceptores, & superiores, quo-  
 rum sub imperio es constitutus,  
 4 (:)      professe-

PRAEFATIO

prosequi & observare tenearis.  
 Deniq; quibus virtutibus & mo-  
 ribus interius te formari oportet,  
 ut eam, quam saniores expetunt,  
 animi tranquillitatem consequare,  
 & cum equalibus honestè & laudabiliter  
 sine invidia & contemptu vivere possis.  
 De studijs litterarum & humanitatis,  
 deq; sapientiae fructu, audi pluribus  
 omissis, oratorum Principem; Hec,  
 inquit, studia adolescentiam alunt,  
 senectutem oblectant, secundas res  
 ornant, adversis perfugium & solatium  
 praebent, delectant domi, non impediunt  
 foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur,  
 rusticantur. Ob haec meritò laudatur ille,  
 etiamsi unum pedem in sepulchro  
 haberet

PRAEFATIO

haberet, adhuc Philosophari se  
 velle aiebat. Quid quaeso ille, qui  
 patriâ dirutâ & incēsâ, jubetur  
 bona, ut reliqui, exportare sua,  
 respondet? ego, inquit, equidem  
 hoc facio, omnia mea mecum por-  
 tans. Sapientiam, & cum saluta-  
 ri eloquentia ornatam Pruden-  
 tiam intelligebat; ex quibus Laus  
 & decus, Salus publica & emolu-  
 mentum affatim redundant.  
 Mors itaq; honesta turpi & in-  
 decore vitæ præferenda; præstat  
 non vivere, quam non benè vive-  
 re; benè autem beatèq; vives, si  
 ei vitæ generi, ad quod ingre-  
 diundum & suscipiendum, pa-  
 rentes ipsi autores extitère, per-  
 petuò adhaeris: id enim ADO-  
 LESCENTIAM Alit, sene-  
 s (:) Etutem

PRAEFATIO

Et utem oblectat. Sunt autem nonnulli, qui & semetipsos & suos, mirabili metamorphosi, à litteris ad mercaturam, hoc est, ab equis ad asinos transferunt, alijsq; ut idem factitent, consulunt; o salutare consilium! egregiam verò laudem & spolia ampla reportant; qui cum partim sibi ipsis non consentiant, partim bonitate naturæ non vincantur, audiendi non sunt. Qui enim paulò fortunatior est, & aliquid mentis habet, erudiri suos ad rectam vitam vult. In hoc verò studiorum tuorum curriculo, dabis in id sedulam operam, ut biennio, plus minus, cursum inferiorum artium, quas circulares vocant, sufficienter impleas, quibus historiarum studium assidue

PRAEFATIO

duè adjungas, in quo sine cogniti-  
 one chronologiae cujusdam, & Geo-  
 metria, velut in ignotâ sylvâ te  
 versari scias. Styli quoq; exer-  
 citia assidua sint oportet, sed dili-  
 genter elaborata; citò enim scri-  
 bendo, non fit ut benè scribatur.  
 Trium autem sunt generum, ut  
 nosti; primùm, transferre patrum  
 sermonem in latinum, & sæpè  
 contra; quæ enim legentem fe-  
 fellissent, transferentem fugere  
 non possunt. Deinde paraphra-  
 stica redditio illustrium poeta-  
 rum, orationem latinam miri-  
 ficè alit & auget. Demùm ma-  
 gnum illud declamationum opus  
 accedat, cui lectio historiarum &  
 moralium optime notæ scripto-  
 rum inserviat, dum vivis. Hæc  
 ¶ (:) enim



PRAEFATIO

enim posteriora duo, quæ indissolubili nexu cohærent, & quasi conjurant, per totam vitam tuam exercenda sunt studia, ad quamcung, etiam Sapientia partem inclines & te conferas. Eligas a. scriptores paucissimos eosq, optimos, quos præceptores tui & tempus monstrabunt; vel potius ipse intelliges ac judicabis. Sicut enim multitudo librorum distrahit animum: ita in paucis benè intellectis consistit omnis eruditio. Afferas autem ad hæc necessum est, animum discendi cupidum & laboris impigrum; non enim datur ad Musas currere lata via, laboribus Dij nobis omnia vendunt. Alterum quod erat; quâ pietate, amore, & officijs parentes fovere debeas

PR AEFATIO

*debeas, docuit te ipsa natura, & sacrosanctum Dei mandatum; quod si contumaciâ & inobœdientiâ turpiter violaveris, justî Dei iram & intolerabilem pœnam experiere, & promissionis annexæ nunquam particeps eris; sicut Simosius ille, de quo est apud Homerum, qui*

— nulla parentibus almis  
 Debita, pro vitâ & pro dulci  
 præmia victu  
 Reddidit, idcirco brevis ipsi  
 est vita tributa.

*Quotidiè obversentur animo tragici & verè Regij scriptoris, Euripidis versus, memoriâ dignissimi,*

Quisquis parentes hîc piè,  
 vivens, colit,

7 (:)

Hunc

P R A E F A T I O

Hunc viventemq; mortuumq;  
amat Deus,  
Non liberis est pulchrius mu-  
nus aliud,  
Quam liberos dici parentis  
optimi,  
Parentibusq; dignum hono-  
rem reddere.

*Præceptoribus verò tuis, se-  
cundum pietatis gradum deberi,  
ne dubites. Alexander ille, à ma-  
gnitudine rerum gestarum Ma-  
gnus cognominatus, fatebatur in-  
genue, se plus Aristoteli præce-  
ptori quam Philippo parenti de-  
bere; quippe quod ab hoc vitam,  
ab illo vitam optimam haberet.  
Isocrates præceptorem non oratio-  
ne solum, sed & corpore à tyrannis  
fortiter liberavit. Antonius Im-  
perator aureas illorum imagines  
in sa-*

PRAEFATIO

in sacello Larium habuit. Quod  
 si itaq; & tu, eo quo decet vultu,  
 gestu, sermone, factis, gratitudi-  
 ne eos observaveris, efficies, ut  
 majori fide & curâ tui & vite  
 tua rationem suscipiant; qui si  
 paulò severius in te animadver-  
 terint, noli perturbari, ne irascaris  
 ne succenseas; id enim è re tua  
 est; tuæ salutis consulunt; te odio  
 non habent; vitia tua detestan-  
 tur, vitia blandiendo non sanan-  
 tur; sin aliter senseris, actum erit  
 de te & tota vita tua. Virtutes  
 & mores quod attinet; da ope-  
 ram, ut lenioribus illis, quæ vi-  
 rum bonum videntur attingere,  
 te ornes; Fide, Veritate & Con-  
 stantia in dictis & factis. Loqua-  
 citatem, & animum aliena non  
 necessa-

PR AEFATIO

necessaria studiosè inquirentem  
detestare; perconctatorem fugito;  
nam garrulus idem est. Cum au-  
tem mihi videaris hac etate tua  
in turbulento mari navigare, qua-  
si inter Syllam & Charybdin con-  
stitutus, suadeo ut à senum late-  
ribus nunquam aut rarò disce-  
das; illi te filo quasi Ariadneo re-  
tè ad Fœlicitatem perducent; ad  
illos nunquam accedes, quin ab ijs  
abeas doctior; illorum domus &  
conversatio opinionem probitatis  
tue & virtutis alijs excitabunt.

Amicos verò ex ijs, quibus  
cum conversaris, elige perpaucis-  
simos, eosq; honestos, ingenio, studio  
& morib. similes; nulla e. firmior,  
nulla jucundior amicitia, eâ, quam  
morum similitudo bonorum conju-  
gavit.

PRAEFATIO

gavit. Hic cautè & prudenter  
 circumspiciendum, ne adulatorem  
 pro vero amico, à quo ille in vitâ  
 difficulter internoscitur, eligas ;  
 Est enim hoc genere hominum  
 nullum turpius, & perniciosius,  
 nullum magis impium, qui, ut  
 verborum illecebris, mentem &  
 iudicium nostrum de alijs expi-  
 scentur, sæpè alios, benè meritos,  
 sinistris carpunt sermonibus, &  
 falsissima, quæ veris paucis admi-  
 xtis, probabilia reddunt, ad nos  
 deferunt, & nobis quasi solis con-  
 credunt ; quâ ingenij malitiâ nil  
 aliud efficiunt, quam quod bono-  
 rum amicitias sæpe dirimant, &  
 se quales sint ostendant, sibi  
 ignominie maculam inurant, se in  
 perniciem precipitent. Hos melan-  
 uros,

PRAEFATIO

nuros nigros, & versicolores polypos, qui duabus sellis sedere consueverunt, & ad nutum & gratiam illorum, à quibus utilitatem quamvis exiguam, capiunt, loquuntur, prudenter vita. Est quidem in vita nil dulcius vero amico; sed quo difficilius invenitur, eò diligentior in eligendo cura adhibenda. Non est amicus eligendus, ut ille suadebat, nisi cum quo modium salis aut cineris prius absumpseris. Multum prodest fide dignos de amicis eligendis consulere. Iuvat etiam subornare fidum hominem ad explorandum futuri amici ingenium. Excogitare dictum aut factum aliquod, de quodam eligendi amici socio, non tamen cum ignominia  
 conjun-

PRÆFATIO

conjunctum, eiq; id quasi verum  
narrare, utile erit: Rem verò ar-  
duam & alicujus momenti primò  
ei ne concedas; vasa enim re-  
centia, an solida sint, non oleo aut  
vino sed aquâ probantur. Deniq;  
odservandum est, quibus parenti-  
bus, quâ in civitate, ex qua na-  
tione aut gente natus & oriun-  
dus sit, ne ex Heracliti antro, aut  
Democriti puteo ascendentem  
quemcunq; statim amicum adsci-  
scamus; plerumq; enim filij pa-  
rentum referunt non solum cor-  
poris lineamenta, sed & animi  
dotes, ingenium & affectus; &  
ut in diversis locis, diversa aëris  
qualitas; ita & in hominibus ea  
inhabitantibus. Cretensis est; er-  
gò mendax est, ut olim dixerunt.

Pœnus



PRAEFATIO

*Pœnus est; ergò callidus est. Sed de hac re Plutarchus multiscius utilem libellum reliquit, cujus viri ingenij & doctrina monumenta tibi hac vice commendo. Hec prout tempus & otium subito suppeditarunt, equi boniq; consulas, quoad graviora magis q; elaborata donare, & fortuna & otij conditio permittant. Hec salutaria vite precepta & symbola Pythagora, cujus viri fama ad ultimas terrarum oras dimanavit, in manibus habeas, in ore, in pectore; si honestè, si beatè, & citra vituperationem vivere concupiscis. Quid enim utilius, quàm cavere à melanuris? quam hirundines sub eodem tecto non habere? Quid ad animi tranquill-*

P R A E F A T I O

quillitatem conducibilius, quàm  
 cor non comedere? Quid magis  
 ad vitam necessarium, quam su-  
 per chænice non sedere? Quid  
 jucundius, quam annulum angu-  
 stum non gestare? Quid magis  
 damnosum, quam ignem gladio  
 fodere? quam à fabis non absti-  
 nere? Adde his symbolis moralia  
 ejusdem Pythagoræ præcepta, qui-  
 bus omnibus non aliter, imo ma-  
 gis, quàm ipsis oraculis credi oportet.  
 Sic autem præcipit; abscin-  
 denda sunt, Languor à corpore; Im-  
 peritia ab animo; à ventre Luxu-  
 ria; à civitate Seditio; à domo  
 Discordia; & in commune, à cun-  
 ctis rebus Intemperantia. His  
 præceptis si te delectari, & ad  
 normam illorum vitam piè & se-  
 dulo

Quintus Curtius Rufus  
 de rebus bellicis lib. 10. c. 12.

PRAEFATIO

dulo informare animadvertero, plura posthac id genus moralia & sancta vitæ instituta, Deo favente, fideliter communicabo; inter quæ septem sapientum sapienter dicta, in hac eâdem officinâ, eademq; incude formata, principem sibi locum vendicabunt.

Nunc quod superest, Ioachime carissime, cum jam jam pergas ad urbem celebrem & litteratissimis hominibus affluentem, pro meo in te singulari amore, piè hortor & moneo, ut cogites, te illuc transmitti, non tanquam otiosum certaminis cujusdam spectatorem, sed ut lutatorem strenuum, & velut ad mercaturam bonarum artium diligentissimè exercendam, ex quâ te inanem domum redire turpe est, & noxium. Dedecorabis namq; & celebris illius urbis, & doctorum hominum, quorum fidei & prudentiæ commissa erit vita tua, auctoritatem. Quantum itaq; animo conniti poteris

P R A E F A T I O

poteris, quantum labore contendere, dabis in id sedulam operam, ut talentum, quod à Deo & Naturâ accepisti, honestè & utiliter colloques; te assiduè melioribus offeras, & quæ claris digna natalibus tuis studia ingressus es & suscepisti, ad fœlicem & optatam metam traducas; pia parentum vota expleas, & ei, quam non parvam sustines, expectationi imitanda paternae industriæ, gravitatis, virtutis, & prudentiæ respondeas, fructumq; quem proprio suo jure à te parentes repetere debent, spe fundas uberiorem. Quod si feceris, ut facturus es, efficies profectò, ut cum omnia tibi abunde suppeditata sint, tute ipse tibi defuisse non videâre.

Nunc tibi fœlicem & itineris tui & studiorum tuorum optamus cursum, & divini numinis benedictionem atq; auxilium super te ex pio & devoto corde imploramus; tu nos vicissim, ut facis, & te decet, ama, cole & observa. Rostochij  
Idibus Junij, 1604.

*Errata quaedam humanus  
lector sic corrigat.*

A 5. columna 2. linea 20. lege  
subreptio. B. 4. col. 1. lin. 4. l. Legi-  
rupæ. B. 9. c. 2 l. 19. lege tributum. C.  
col. 2. l. 16. lege exhalare. C. 7. c. 1. l. 11.  
& 14. lege γῶεδῖ D. 5. c. 2. lin. 10. lege  
liber. D 7. col. 1. lin 16. lege ὀμωφοεῖς  
col. 2. Lege ψῖθρον Ibid lege ἐκ-  
βαλε. D. 10. col. 1. lin. 11. lege ζῶη πίθη  
E 5. c. 2. lin. 14. post pensaret, inserte ac-  
ceptum.

**SYM.**



SYMBOLA

PYTHAGORAE

moraliter explicata

A

PHILIPPO BEROALDO  
Bononiense.

Duo genera philosophorum veterum; Ionicum à Thalete; & Italicum à Pythagorâ ortum.



VO APVD VET-  
teres Philosophorū  
genera fuisse tra-  
duntur; quorum al-  
terum Ionicum, al-  
terum Italicum appellavere. Jo-  
nici generis principem extitisse  
Thaletem Milesium ferunt, qui u-  
nus fuit ex illis septem memoratis-  
simis viris, quos Græcia Sapientes  
appellat, Italicum verò genus au-  
torem,

A

torem,

S Y M B O L A

torem habuit Samium Pythagoram, inter priscos philosophos inclitum, primumque philosophiæ nuncupatorem.

Pythagoras primùm pro sapiente maluit dici philosophus, i. sapientiæ amator.

Qui interrogatus à Leonte Phliasiarum tyranno, quid potissimùm profiteretur, quove se nomine nuncuparet, philosophum se esse respondit, hoc est, studiosum sapientiæ, quoniam σοφόν .i. sapientem se profiteri, insolentissimum esse videbatur. Vndè deinceps nuncupati philosophi sunt, qui antea σοφοί, id est, sapientes nominabantur. Hic Pythagoras documenta non parum multa deprompsit ex sanctioribus doctrinæ promptuarijs, ad utilitatem hominum vivendi que rationem  
mirè

PYTHAGORICA.

mirè conducentia, à quibus Divinus ille Plato non longè devlus, pythagorizat in plurimis, cujus autoritas tanta extitit, ut pro ratione haberetur, cum pythagoricis satis esset, ita respondere, αὐτὸς ἔφα, Ipse dixit; qui memoriter tenentes præcepta doctoris, memoriâ pro libris utebantur.

Dogmata Pythagoræ de transanimatione, frugalitate, taciturnitate, communitate bonorum inter amicos & discipulos.

Celeberrimi scriptores in Pythagora suscipiunt Μετεμψύχωσιν atq; Παλιγενεσίαν, quæ si latinè volueris enunciare, dicere poteris transanimationem atq; regenerationem, ex qua non inconcinniter natum renatumq; eum sæpissimè proditum est. Laudant ejusdem

A 2 dogma



SYMBOLA

dogmata ad frugalitatem pertinentia, quibus unctiora edulia, lautioresq; popinas interdixit, adeò ut Familia Pythagorica puras & sine animalibus cœnas cœnare ex præceptoris instituto consueverit. Idem discipulos suos nihil peræquè edocebat, quam linguam intra vallum dentium coërcere, & diutino silentio philosophari. Ab eodem parœmia græcorum illa defluxit, κοινὰ τὰ τῶν φιλάων, hoc est, *omnia amicorum communia*; quoniam discipulos in cohortem disciplinarum recipiens, omnes facultates in medium dare præcipiebat, ut essent omnibus omnia communia, coireturq; societas inseparabilis atq; consortium, quod prisco vocabulo κοινόνιον appellatur.

Inventa Pythagoræ in Astronomia & Geometria.

Idem

## PYTHAGORICA.

Idem primus, utpote vir sagacis ingenij, & eorum, quæ cælo continentur, capax, deprehendit naturam syderis illius, quod Veneris appellatur. Nec non intervalla syderum à terra indagare tentavit, & à terra ad lunam centum viginti quinque millia stadiorum esse collegit; ab ea usque ad Solem, duplum; inde ad duodecim zodiaci signa, triplicatum. Idem normam quandam geometricam sine artificis fabricationibus inventam plausibiliter ostendit, habentem trigoni figuram, qua inventione gaudebundus, gratias Dijs maximas egisse dicitur, hostiasque immolavisse. Verum hæc in præsentia, aliaque sexcenta, præconio scriptorum in Pythagora celebrata, prudens omitto, cum ad alia festinet animus, quæ hodiernæ orationi materiam præstabunt,

A 3

&

## SYMBOLA

& argumentum, ut opinor, non  
pœnitendum.

Symbolorum Pythagoræ com-  
mendatio, quorū explicatio ju-  
cunda, gravis & salutaris est.

Ea autem sunt symbola Py-  
thagoræ, quibus per quædam qua-  
si involucria, preciosos thesauros  
convelavit, & sacrosancta decreta  
contexit, quæ hodierna die à no-  
bis latissimè referata pendentur,  
& ex instituto nostro propè pecu-  
liari, pigmentis oratorijs colorata  
splendescunt. Erit eruditio hæc,  
neq; ludicra, neq; trivialis, sed se-  
ria, sed infrequens, & à propha-  
norum vulgo longè semota. Erit  
hoc jentaculum numerosiore pa-  
bulo conditum, quod pueris ju-  
cunditatem, juvenibus saturita-  
tem, majoribus natu salubritatem,  
omnibus delicias, citrà fastidium  
præ-

## PYTHAGORICA.

præstare possit. Elaborabo pro virili parte, ut ad hæc fercula, neq; vos accessisse, neq; nos invitasse pœniteat. Verùm ut jam cœpistis, purgatarum aurium operam date, sesquihoram dicturientibus nobis impendite.

Enarraturus symbola Pythagoræ, videor facturus esse operæ-precium, si multiplicem hujusce vocabuli significationem percensuero, ut ita facilius, quid sibi magnus mirandusq; philosophus hoc verbo voluerit, intelligere possitis.

Vocis (symboli) Etymologia & æquivocatio.

Symbolum vocabulum est, ut Grammatici docent, *πλῆθιμον*, i. plura significans. Nam primum omnium, symbolum collatio dicitur, hoc est, quod plures in unum

A 4 con.

## SYMBOLA

conferunt. Ex hoc significato dicuntur gulones & ventricolæ symbolum dedisse in cœnam, quando unusquisq; confert in unum nummos pro rata; vel cupidias ciborum ad convivalem apparatus instruendum. Hinc illud comici poëtæ notissimum, *Symbolum dedit, cœnavit, gaudebam.* Item in Eunucho: *Heri aliquot adolescentuli coimus in Pyrao, in hunc diem ut de Symbolis essemus.* Illud quoq; plautinum ex Curculione eundem habet intellectum, *Symbolorum collatores apud forum piscarium.* E diverso, qui ad cœnam vel prandium nihil confert, immunisq; discumbit, & ἀκλιτῶ .i. non vocatus venit, is eleganti vocabulo, græco quidem, sed & nostris usitato, *asymbolus* nominatur. Hinc illud Gellianum, *ne omnino, ut dicitur, immunes & asymboli veniremus.* Apud Græcos,

## PITHAGORICA

Græcos, parasitus perquam scitè  
*εἰμβολ* & appellatur, propterea  
 quod immunis & sine symbolo  
 ad cœnas lautiores ventitat citrà  
 vocationem. In Decretis canoni-  
 cis salubriter præcipitur, ne clerici  
 ex symbolis, quæ vulgus comesa-  
 lia appellat, convivia factitare con-  
 suescant. Autumat Ruffinus, sym-  
 bolum Apostolicum ideò appella-  
 tum esse hoc nomine, quia id con-  
 diderunt Apostoli, in unum con-  
 ferendo, quod quisq; de fide sen-  
 tiebat. Symbolum veteres annu-  
 lum appellavere, quod & Plinius  
 noster docet his verbis, *apud nos*  
*prisci annulum unguum vocabant, po-*  
*stèa & Græci & nostri symbolum:* Ad  
 hanc significationem quidam Te-  
 rentianum illud referunt, *ut de*  
*symbolis essemus,* tanquam annuli da-  
 rentur pro arrha sive arrhabone  
 ientaculi,

A 5      Sym-

## SYMBOLA

Symbolum apud Aristotelem  
invenitur pro etymologia, quæ ob  
id à Cicerone dicta est notatio.  
Symbolum quoq; græcè, dicitur  
augurium atq; vaticinium, hoc est,  
ut græcis vocabulis utar, *ὀράσιμα*  
*καὶ μάντιμα.*

Vox (symbolum) significat etiam  
indicium, notam seu signum  
alicujus rei, vel doctrinæ.

Adhæc, symbolum significat  
notam, indicium & signum; ut  
est symbolum bellicum, quod mi-  
litibus pugnaturis datur, maxi-  
mèq; id in bellis civilibus observa-  
ri solet, quibus quoniam & armo-  
rum habitus par, & sonus vocis  
idem, & mos unus est, atq; eadem  
instituta bellandi; ne quæ doli  
subreptis fiat, symbola distincta  
unusquisq; dux suis militibus tra-  
dit, ut si fortè occurrerit quispiam,  
de

PYTHAGORICA

de quo dubitetur, symbolum prodat, ut ita, si fit hostis, vel socius, facile agnoscatur.

Lar Deus. Apollo. Venus. Virtus. Palma. Papaver. Adonis. Alys. Satyri, symbola sunt bellica, & aliarum rerum signa.

Itaq; temporibus bellorum civilium, intestinarumq; seditio- num, Marij symbolum fuit, Lar Deus; Syllæ, Apollo Delphicus; Cæsaris, Venus genitrix. In vigi- lijs quoq; castrensibus, symbola id genus dari consueverunt, utpu- ta Virtus, Palma, Victoria: quæ tamen symbola ex præcepto disci- plinæ militaris quotidie variari de- bent, ne ex usu hostes signum a- gnoscant, & exploratores inter no- stros versentur impune. Confimi- liter in arcanis priscorã mysterijs

A 6 sym-



## SYMBOLA

Symbola habebantur, verbi causa; Papaver symbolum erat fertilitatis; erat & Symbolum civitatis. Adonis symbolum fructuum, Atyis florum. Satyros quoque Veneræ potestatis symbolum esse voluerunt. Spuma, quæ græcè ἀφρός, Symbolum est genituræ, unde Venerem Aphroditen merito nuncupavêre.

Symbola Pythagoræ sunt vascula & signa mysteriorum & salutarium doctrinarum.

Ex hoc nimirum genere sunt Symbola Pythagoræ, videlicet indicia quædam & signa mysteriorum doctrinæ sanctioris, quibus sententiæ morales atque salutaria documenta continentur; quibus tanquam vasculis fictilibus thesaurus preciosus includitur. Et plura hæc symbola leges quadantibus

DUS

## PYTHAGORICA.

nus imitantur; quarum scriptum angustum est, interpretatio diffusa; parca sunt verborum, fœcunda sententiarum, foris corticosa, intus succosa, aliud sonantia, aliud significantia, quibus præcepta quædam catholica, hoc est, universalia sunt involuta, ad vitam sanctè beatèq; degendam valde congruentia. Cæterum cum innumera sint symbola Pythagoræ, pauca quædam ex divini philosophi secretarijs selecta deprompsi, quæ hodierna enarratione à nobis latissimè explicabuntur, quæ vitæ mortalium conducibilia salubrioraque esse credidimus.

Dicimus symbolus & symbolum.

Sed antequam à symboli significato recedamus, annotandū obiter & illud est, symbolum ma-

▲ 7 (culi.

## SYMBOLA

sculino quoq; genere dici, ut docet Suidas, & ex Plautina lectione didicimus, siquidem in Bacchidibus ait Chrysalus: *Ostendit symbolum, quem tute dederas. Infit dicere adulterium, & non eum esse symbolum. Item in Pseudolo, Dato eum symbolum illi. Item, Epistolam modo hanc intercepti & symbolum: quem symbolum? qui à milite alienatus est.*

Σύμβολον verò Græcis dicitur homo prudens, probusq; consiliarius; contrarium est ἀεσλον. Sed jam tempestivum est, ut symbola Pythagorica morali interpretatione pandamus, quod dum à me fit, vos, quæso, ut occæpistis, diligenter attendite.

### I. Symbolum Pythagoræ DE IUSTITIA ET LEGIBVS.

Τυχὸν μὴ ὑπερβαίνειν:  
*Stateram ne transilias.*

Inter

## PYTHAGORICA

Inter Symbola Pythagoræ  
 mystica, aurea, sacrosancta, quæ  
 & ænigmata nominantur, illud  
 primo loco occurrit dignum me-  
 moratu, ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν, quod  
 latinè significat, *Stateram ne transi-  
 lias*, hoc est, ne prætergrediare ju-  
 stitiam ô Princeps, qui sceptrum  
 tenens celsa in arce consistis, qui  
 jura das mortalibus, quem domi-  
 nantem cuncti reverentur, *state-  
 ram ne transilias*, à Iustitiæ tramite  
 devius ne aberres; illa sit tibi pro  
 scopo & signo, ad quod dicta, fa-  
 cta, cogitata tua omnia referantur.  
 O Iuridici magistratus, ô Iudices,  
 qui pro tribunali sedetis, pronun-  
 ciaturi de vita patrimonioq; mor-  
 talium, sententias vestras æqua lan-  
 ce perpendite, & in librili colloca-  
 te, omnibus verbis nervisq; con-  
 tendêres, ut judicia vestra, judicijs  
 Bocchyris comparari mereantur,  
 qui

## S T M B O L A

qui in Ægypto adeò justè, adeò  
sinceriter judicasse fertur, ut ejus  
nomen in proverbium venerit ju-  
stissimè ac integerrimè judican-  
tium.

Simulacrum Iustitiæ quid doceat?

Sit vobis ante oculos non mi-  
nus interioris, quam exterioris  
hominis Idolon, simulacrumq;  
Iustitiæ, quam pictores rethoresq;  
antiqui effigiabant formâ atq; filo  
virginali, aspectu vehementi, lu-  
minibus oculorum acrioribus,  
cum reverendæ cujusdam severi-  
tatis dignitate, ex hoc typo &  
imagine intelligi volentes, Judi-  
cem & magistratum, qui justitiæ  
antistes est, oportere esse sanctum,  
severum, incorruptum, inadul-  
bilem, vi ac majestate æquitatis  
veritatisq; terrificum. O Ponti-  
fices qui sacerdotali majestate præ-  
ful-

## PYTHAGORICA

fulgentes instar Divorum estis in  
terris Sacrosancti, stateram ne  
transilite, etiam atq; etiam circum-  
spicite, ne pro Dicearchis fitis  
Adicearchi, hoc est, pro Iustitiæ  
præfectis, præfides Injustitiæ effi-  
ciamini, sicut complusculos esse  
& vidimus & audivimus, qui sub  
vestimento Sanctitatis, tyranni-  
cam Injustitiam contegunt.

Oculus Iustitiæ omnia cernit.

Scitote oculum Iustitiæ, quem  
nemo mortalium potest effugere,  
ex cælesti speculatorio actiones  
atq; ad eò cogitationes omnes ve-  
stras contemplari atq; introspicere.

Terris Astræa relictis Astra te-  
net.

Quæ prisco jam sæculo exosa  
improbitatem injustitiamq; mor-  
taliū terras reliquit, cæloq; sub-  
volavit

## SYMBOLA

volavit, quam Poëtæ poëticoque  
vocabulo Astræam appellitant.

Darij vox. Ægyptiorum mos.

Hinc Darium regem Persarum  
olim Iustitiæ sacrificantem dixisse  
ferunt; *O Domina, si qua es unquam!*  
perinde ac ita significaret, se jam-  
pridem exoptasse justitiam, neque  
illam usquam gentium invenire  
potuisse. Ægyptij prisca doctri-  
na pollentes, in ceremonijs mysti-  
cis, sinistram manum porrecta pal-  
ma discapedinatam, Æquitatis in-  
dicium ac symbolum esse volue-  
runt, propterea quod sinistra ma-  
nus genuinâ pigritiâ, nulla calli-  
ditate præditâ, videbatur æquita-  
tati aptior esse, quam dextra.

Iustitia oleo comparatur. Terra  
cur iusta dicatur? Dictum Age-  
silai.

Iusti-

PYTHAGORICA.

Iustitiam celeberrimi scriptores graphicè ac scienter oleo comparant. Ut enim oleum intus obest, foris infusum prodest: sic & iustitia forinsecus, i. alienis magis prodest quam intrinsecus, i. his qui ejus sunt administratores. Nam *Iustus*, ut inquit Ambrosius, *utilitatem propriam negligit, ut communem equitatem custodiat, communia pro suis habeat, sua pro communibus.* Et cum Iustitiæ principale munus sit, alterum non lædere, jus suum unicuique tribuere, indè fit, ut qui justus est, idem bonus fit, & qui bonus, justus esse dicatur, per quandam decentissimam reciprocationē. Menander, quod & Pollux docet in onomastico, *ἡδίων δικαίων*, .i. Terrā justā appellat, quæ scilicet quantū acceperit, tantum reddat. Negociatores, qui vultis & dici & esse bona nomina, quan-



SYMBOLA

quantum accepistis, tantum reddite, citra fraudationem, sit procul à vobis omnis impostura, omnis circumscriptio, á statera ne digitum quidem transversum abscedite. Apud Græcos ab hoc excellenti Iustitiæ bono Aristides *δικαιος* .i. iustus est cognominatus, quod sanè cognomen omnibus omnium triumphis est anteponendum, quod equidem malim, quàm Magni Pompeij, Fœlicis Syllæ, Poliorcetis Demetrii, hoc est, urbium expugnatoris; quo proculdubio nomine nullum præstantius, nullum favorabilius esse potest. Quocirca qui vult & esse & videri bonus princeps ac amabilis, ea æquitate, iustitia, bonitate sit præditus, ut meritò *δικαιος* .i. Iustus cognominari possit. Is in sese omnia habet penes quem est Iustitia, & ut Camæne Græcorum  
 canunt

PYTHAGORICA.

canunt, *τέρας δίκαιον κτήμα τιμωτάτων*, .i. *Iusti mores, preciosissima possessio.* Interrogatus Agefilaus ille magnus, utrum Virtus præstantior foret, Fortitudo, an Iustitia? scitè eleganterq; respondit, *ἔδεν εἶπε ἀνδρείας χηρίζομεν, ἕαν πάντες ὦμεν δίκαιοι*: *Nihil, inquit, Fortitudine indigemus, si iusti omnes simus.*

Oportandum, omnes civitates Dicearchias esse.

Puteolos, Italiæ populos, nuncupatos esse Dicearcheos à Iustitia, docet Stephanus græcus autor, & nostri meminere. Hinc illud Papinij, *Celsa Dicarchei speculari villa profundi.* Quam speciosum, quam memorabile, quam gloriosum foret, si hæc civitas nostra, atq; ad eò civitates omnes tam sanctè, tamq; justè regerentur, ut Dicearchiæ nominari meritò possent,

SYMBOLA

sent, cognomine sancto & amabili. Justitiam Græci *δικαιοσύνη* appellant, quasi *δικαίᾳ* *σύνεσιν*, id est, justī intelligentiam, ut interpretatur Plato in Cratylo, ad quam cum omnes mortales, tum maximè Principes sese natos noverint; noscent autem, si juxta symbolum Pythagoricum, stateram non transilierint, eiq; symbolum alterum, maximè cognatum, maximèq; germanū copulaverint, quo Divinus Philosophus præcipit, *Coronam urbium non carpendam*, h. e. leges urbium esse servandas. Et enim ut verissimè dixit Pindarus, *Lex omnium domina est*, cui ut DEO parendum esse commonet conditor familiæ peripateticæ, Aristoteles. **Q**uin etiam **DEVS** ille philosophorum Plato, cujus os in philosophia purgatissimum est & lucidissimum, stat acerrimus legis pro-

## PYTHAGORICA.

propugnator, atque veluti è specula, surdis veritatis mortalibus ita proclamat: *Interitum paratum illi civitati video, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsumt; salutem verò illi, in qua lex magistratibus dominatur, cuncta certè bona, quæ Dii civitatibus præbent, huic affore conspicio.*

Legis Elogium. Ciceronis dictum. Simile.

Sit ergo Lex in civitate, velut Regina in arce, vitiorum emendatrix, virtutum præmiatrix, rectè vivendi dux, & totius civitatis sospitatrix saluberrima. Audite quæso elogium, quod pro vestibulo ædium principalium, pro cubiculis magistratum, quod in liminari pagina Jurisconsultorum, non tam scribi, quam sculpi decet; sic enim inquit Arpinas orator,

## SYMBOLA

tor, Mens & animus & consilium & sententia civitatis posita est in legibus : Et, ut corpora nostra sine mente : sic civitas sine lege, suis partibus & nervis, ac sanguine & membris uti non potest. Legum ministri magistratus, legum interpretes judices, legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.

Leges sunt nervi civitatum. Ceres legum inventrix.

Quis igitur amator civitatis, cupidus publicæ salutis, quum intelligat, ad miculo legum fulciri civitatem, non totis viribus Symbolum Pythagoræ custodiat, ne coronam carpat, hoc est, ne Legem violet, sine qua cuncta corruant necesse est. Constat profectò, ad salutem civium, civitatumq; incolumitatem, vitamq; hominum & quietam

PYTHAGORICA

quietam & beatam, inventas esse  
 leges, quas Portius Cato, nervos  
 esse dicebat, quarum inventricem  
 Cererem omni præconio laudis  
 extollere debemus, quam ob id  
 Græci Thesmophoron vocant,  
 quasi dicas Legiferam, & ejus ini-  
 tia ac festa Thesmophoria. Verùm  
 & dicam quod sentio, non tam in-  
 genio hominũ; quã divina mente  
 lex fuit excogitata propagataq;.  
*Quamobrem lex vera atq; princeps,  
 apta ad jubendum & ad vetandum, Ra-  
 tio est recta Summi Iovis.*

Honor & officium legum lato-  
 rum & custodum.

Apud Græcos, in benè mora-  
 tis civitatibus, non solum observa-  
 bantur Nomothetæ, hoc est, con-  
 ditores legum, ut Draco & Solon,  
 verum etiam custodes legum dili-  
 gentissimi creabantur, quos Græci  
 B                      nostriq;

SYMBOLA

nostriq; scriptores Nomophylaces  
appellant. Horum erat officium,  
ut Columella inquit, eos qui legi-  
bus parerent, laudibus prosequi,  
nec minus honoribus; eos autem,  
qui non parerent, pœna mulctare.

Exempla tria perditissima, Cara-  
callæ, Neronis & Cambyfis: quæ  
ostendunt, leges aranearum te-  
lis similes esse.

Principes qui servantissimi  
legum tutores esse deberent, fidis-  
simiq; Nomophylaces, hi plæ-  
rumq; sunt prævaricatores, sup-  
plantatores, illud subindè jacti-  
tantes; princeps lege solutus est,  
& libido regum pro legibus ha-  
benda.

Ant: Caracalla incestas nuptias  
cum novercâ confecit.

Hinc olim Antonius Caracal-  
la, Romanus imperator, cum no-  
vercam

PYTHAGORICA.

vercam, nomine Iuliam, Iuculentam foeminam, incesto amore diligeret, dixissetq; *vellem, si liceret*, ferunt illam respondisse, *si libet, licet; an nescis te imperatorem esse & leges dare, non accipere*. Hoc sanè verbum, quod oleum est camino, quod sulphur incendio, idem fuit ad furorem principis extimulandum, legesq; conculcandas. Nam è vestigio furijs cupidineis concitatus, nuptias incestas infandasq; cum noverca confecit, quasi sciret se leges dare, quum verè, si quid avitæ sanctitatis in homine fuisset, solus prohibere debuisset, siquidem matrem, (nec enim alio dicenda erat nomine) duxit uxorem, & ad parricidium junxit incestum; namq; eam matrimonio sociavit, cujus filium Getam, eundemq; ipsiusmet fratrem, prius occiderat.

B 2

Nero



SYMBOLA

Nero veneno fratrem sustulit.

Nero quoq; sanguinarius princeps, & humani generis fax ac pestis, veneno fratrem Britannicum aggressus est, parato à Locustâ triveneficâ, quod cum opinione tardius grassaretur, accersitam mulierem suâ manu verberavit, arguens pro veneno remedium dedisse, excusantiq; Locustæ minus veneni datum, ad occultandam sceleris tam atrocis invidiam, sanè, inquit, legem Iuliam timeo, videlicet ostendens, se ipsis legibus mandare suspendium, & se legi, non legem sibi dominari, venenoq; iterum præsentissimo propinato, ad primum statim gustum exanimatus est infœlix puer. Nimirum tales principes, vel potius tyranni, leges perinde habent, ac telas aranearum; nam  
sicut

P Y T H A G O R I C A .

sicut illæ infirmiora animalia retinentes, valentiora transmittunt: ita legibus humiles & pauperes constringuntur, divites & præpotentes non alligantur. Erit opinor operæ precium percensere hoc in loco historiam, barbaricam quidem, sed negotio instituto benè congruentem.

Cambyfes sororem in matrimonium duxit.

Cambyfes Persarum rex, sororis amore captus, cupidusq; ducendi illam uxorem, quod nefas erat, regios Iudices evocat, percontaturq; , num qua lex sit, quæ finat volentem fratrem cum sorore copulare matrimonium. Iudices: quibus libido regia benè erat cognita, circumspicienter sagaciterq; respondentes, nullam se invenire legem, quæ permittat fratri nubere

B 3

*sororem*

SYMBOLA

fororem, quandam tamen inveniri legem, quâ liceat Regi Persarum facere quicquid libeat. Ita neq; legem abrogarunt, & ne legem tuentes ipsi periclitarentur, aliam invenerunt, subscribentem voto ejus, qui fororem in matrimonium ducere concupiscebat. Sic Cambyfes reperto legis diverticulo fororem, pernuptias incestas, duxit uxorem; verum nostris quoq; temporibus haud parùm multi Principes videntur, qui quasi aquam ferventem frigidam esse: ita putant leges, diverticulaq; id genus excogitant.

Nos vero observantes symbolum venerandi Philosophi salutarem, *stateram ne transiliamus, coronam ne carpamus*, hoc est, una cum justitia leges pertinaciter servemus, ut ita vivamus magna ex parte impeccabiles, curiosè caventes, ne meritò

PYTHAGORICA.

meritò dici possimus, ἀνόμοι καὶ  
παράνομοι, sic enim græcis voci-  
bus iniqui & scelesti nominantur,  
quasi Legiruffæ & transgressores  
legis, quam νόμον vocitant.

II. *Symbolum Pythagoræ.*

DE NON ADMITTENDIS  
ANIMI DOLORIBVS.

καρδίαν μὴ ἐοδίειν.

*Cor non comedendum.*

Vita hominis piraterium est.

Sequitur symbolum Pytha-  
goræ, quo vitæ beatitudo confi-  
stit, quod sic incipit, καρδίαν μὴ  
ἐοδίειν, id est, *cor non comedendum*,  
quod signat, mœrorem ex animo  
ejiciendum. Quotus quisq; mor-  
taliū est, qui cor quotidie non  
edat, qui mœrore non tabescat,  
qui ægritudine non conficiatur?  
*homines sunt, ut scitissime simul &*

SYMBOLA

eloquentissimè definit Apulejus, *anxijs mentibus, brutis corporibus, querulâ vitâ!* & ut autor est Divus Ambrosius, *Piraterium est vita hominis*, sive quod homines in hac vitâ omnia experiuntur mala. Piraterium enim latinè experimentum dici potest, seu quod vero proprius est, quod in piraterio sumus, hoc est, in habitaculo piratarum, hoc enim vocabulo prædonum domicilium nuncupatur. Hic ergo tot piratæ in nos grassantur & sæviunt, quot affectus aculeati præcordia fodicant atque divellunt, tot prædones circumfiliunt, quot angores exagitant, quot perturbationes invadunt.

Homo à lachrymis vitam auspiciatur. Lachrymæ Heracliti.

Tota hominis vita flebilis est; & ut inquit verissimè Plinius noster,

P Y T H A G O R I C A

ster, homo à lachrymis vitam au-  
spicatur, estq; quædam quasi offi-  
cina mœrorum, ut, velis nolis, cor  
comeffe cogaris, & mœrorem ha-  
bere pro pabulo fermè quotidiana-  
no, ut non immeritò lachrymæ  
Heracliti philosophi laudentur,  
qui, quoties prodibat in publi-  
cum, flebat, tanquam omnia o-  
mnium hominum negocia sibi  
flenda esse viderentur.

Vulgo beati, infœlices sunt.

Isti purpurati & cuneis satel-  
litum stipati, quos vulgus beatos  
vocat, quam sæpè mœrent, quam  
multis vibicibus mœstitudinis in-  
trorsum deformati squalent, quo-  
rum beatitas oppido quam decen-  
ter & scite personata, bracteata, &  
supparata nominatur.

Æthiopes sine affectibus. Co-  
mites quinq; amoris.

B 5      Histo-

## SYMBOLA

Historici celebrant Æthiopes quosdam, quiq; neq; doleant, neq; irascantur, neq; ulla humana affectione moveantur, quos ob id ipsum apathes vocant, quasi dicas impassibiles, hoc est sine ulla animorum perturbatione degentes. Plinius noster quosdam sapientiæ affectatores refert, torvitate quadam naturæ dura & inflexibili præditos humanis affectibus caruisse, qui & ipsi apathes nominantur. Mihi humanam conditionem ac vitam solerter pensanti, vix possibile videtur, inveniri hominem, qui sit apathes, qui cor subindè non edat, qui mœrorem tristitiamq; non gustet vel ad satietatem. Rara avis in terris nigroque simillima cygno ille est, quem non teneant, stipent, ambient comites illi quinque Plautini amatoris, videlicet cura, miseria,

PYTHAGORICA

seria, ægritudo, lachrymæ, lamentatio.

Nuper ego cor comesse coactus sum, & largiore mœroris gustulo saturari; siquidem me vehementer contristavit obitus Mini Roscij, quo mihi homo, neque amicitior, neq; carior, neq; conjunctior fuit, idque meritissimò. Namq; annos ab hinc circiter triginta tyrunculi simul fecimus stipendia litteratoria sub Francisco Puteolano, qui ut tunc ferebant tempora, primi nominis, primæque notæ inter classici professores habebatur. Ex hoc condiscipulatu dulcissimoq; litterarum contubernio, amicitia inter nos sancta & religiosa quadam necessitudine imbuta coaluit, auxit benevolentia frequens ac penè quotidiana consuetudo, dum scriptores latinę linguę penè universos, cursim quidē nec tamen incuriosè perlegimus.



## S Y M B O L A

Commendatio Mini Roscij ab ingenio, doctrina, eloquentia, morum probitate, Fide, Prudentia, integritate vitæ, Dignitate officij, amore omniū, &c: qui ob hæc, viri Boni & Politici vivum exemplar fuit.

Erat in Roscio meo ingenium præfens, extemporalis facundia, solers prudentia, cui difficile esset imponere, ut non minus verè quàm breviter à me in hēdecasyllabo dictū sit; orator bonus & bonus senator; erant in homine plurimæ litteræ, nec hæc ut in politico vulgares, sed interiores quædam & reconditæ. Huc accedebat peculiaris quædam in obeundis negotijs dexteritas, in fermocinationibus affabilitas, in serijs rebus gravitas, in jocosis urbanitas. Erat deniq; in homine ingenium versatile, adeo ut vir omnium horarum merito dici posset.

## PYTHAGORICA.

posset. Hinc in senatu primas obtinebat, primusq; sententiam magnis in rebus rogabatur. Illustris princeps noster, Ioannes Bentivolus, nostræq; patriæ columen, hunc tanti faciebat, ut pluris faceret neminem, & quoties temporibus duris ac tenebrosis, in negocijs maximis fuit opus oratorem destinare, qui fieret exorator, ex omnibus unum propè peculiariter extra sortem nominatim nuncupabat, cui tum ob Fidem, tum ob Prudentiam tuto concrederet, & publica negocia & privata. Inclitus Annibal, alumnus meus sine Roscio nihil altum medirabatur. Ne longum faciam, omnibus Bentivolis erat, sicut esse debebat, longè acceptissimus; apud cunctos Bononienses in amplissima æstimatione domi forisq; monstrabilis, politicis virtutibus ornatus,

SYMBOLA

liberali mufa perpolitus, opibus  
 luculentis suffarcinatus. Agebat  
 consummatum omni ex parte se-  
 natorem, agebat lautum patrem-  
 familias, agebat amicum non mi-  
 nus auxiliarium quàm confilia-  
 rium; cum primis verò mecum fa-  
 miliariter vivebat, mecum seria (ut  
 dicitur) & joca; eratq; non solum  
 municipibus meis, sed etiam alie-  
 nigenis amicitia Roscij Beroaldiq;  
 notissima, quam posteritati quoq;  
 notam facere pro virili parte con-  
 tendo, quæ voluminibus jam non  
 paucis à me editis cæpit innotescere.  
 Verum nulla est diuturna  
 fælicitas, parensq; rerum natura  
 novercam se nobis identidem præ-  
 stat, & plus aloës propinat, quam  
 mellitæ potionis.

Duo dolia in limine Iovis posita.

Et cum duo sint dolia in Iovis  
 vestibulo collocata, alterum bono-  
 rum,

## PYTHAGORICA

rum, alterum malorum prom-  
ptuarium, largior quot diebus,  
atq; adeò quot horis copia promi-  
tur ex dolio malorum? ô spes ho-  
minum fallaces! ô inanes nostras  
cogitationes! ô vitam mortalium  
fluxam & caducam! ut sæpè gau-  
dia in luctus! ut sæpe cantus in la-  
menta vertuntur.

Genus mortis Roscij, Beroaldi fa-  
miliaris.

Minus Roscius meus, plenus  
gaudij, plenus hilaritatis, inierat  
pompaliter, deducente toto popu-  
lo, Kalendis Septembris, magi-  
stratum amplissimum honoratissi-  
mumq;, quem vexilliferum Iusti-  
tiæ vulgo nomenclant, estq; bime-  
stris reipubl. moderator, cum re-  
pentè gravi morbo implicitus, &  
causone, hoc est, feбри æstuosa cor-  
reptus, domum ex palatio redijt,  
dieq;

SYMBOLA

dieq; 15. consumptus est ad 4.  
 Nonas Octobris, quem diem Bo-  
 nonienses solēniter celebrant, ut-  
 pote Divo Petronio, tutelari Deo  
 dedicatum; ô diem luctuosum  
 & nigro calculo notandum, du-  
 plicique jactura mihi infaustum &  
 ominosum! siquidem octavo ab  
 hinc anno hic dies mihi matrem  
 optimam pientissimamq; eripuit;  
 & in præsentia, amico maximo,  
 suavissimo, amabilissimo me spo-  
 liavit, reliquitque dimidiatum;  
 prorumpunt lachrymæ, superat  
 dolor, urit atrox cura, recursat  
 subindè Idolon & spectrū Roscij  
 mei, quem in lecto cubantem,  
 cum ex officio mutuæ germanita-  
 tis subindè visitarem, pridie  
 quam ex hac vita migraret, verba  
 hæc novissima ex ore morientis  
 excepi, vale Beroalde mi, te re-  
 linquo, & vocor ad majus tribu-  
 nal,

PYTHAGORICA.

nal, quæ quoties subeunt mentem, toties lancinant præcordia.

Amicus propinquo antepo-  
nendus.

Dixerunt veteres morte Africani castratam esse Romanam rempub mortuo Catone, relictum esse senatum pupillum; nos verò modestius loquentes, dicamus, morte Mini Roscij rempublicam Bononiensem orbatam esse optimo patrono, & me viduatū gemma amicorum meorum, qui non minus mihi lugendus est, quam necessarios & consanguineos lugere soleamus; imo amicus propinquo anteponendus est, & amicitia hoc præstat propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest; *sublata autem benevolentia, ut inquit verissimè Cicero, amicitie no-*

## SYMBOLA

*tie nomen tollitur, propinquitatis manet.*  
 Verficulus est ex amatorio promptuario sententialiter expromptus, *verus amor nullum novit habere modum.*  
 Amor noster cum verissimus sincerissimusq; floruerit, nullo modo terminabitur, nulla oblivione oblitterabitur, vivit vivetq; mihi in penitissimis præcordijs Roscius meus, *cujus acerba mors fecit me oblivisci* Symboli Pythagorici, quod præcipit, cor non esse gustandum, mœroremq; ex animo projiciendum.

Gravissimæ consolationes in luctu adhibendæ.

Magna fœlicitas, mori in fœlicitate.

Mors tributus mortalium.

Vita mortuorum est in memoria vivorum.

Itaq; tanto orbitatis vulnere confectus, confugi ad salutare libroris suppetias, qui purè lecti mirum

PYTHAGORICA

mirum in modum recreant atq;  
 reficiunt animum languentem, &  
 fomenta suppeditant. Est & illa  
 non parum efficax consolatio, qua  
 aurem vellens sic inquit & inferius  
 personat, *magna est felicitas, mori in  
 felicitate.* Roscius tuus decessit  
 florentissimus, plenus honorum,  
 plenus honorum, primarius sena-  
 tor, in summo magistratu, perfun-  
 ctus legationibus honoratissimis  
 ad Pontificem Maximum, ad sa-  
 crosanctum regem Gallorum, ad  
 principes plurimos destinatus, se-  
 ptimum fuit consul, hoc est, ut nos  
 loquimur, septimum vexillifer Iu-  
 stitiæ; deniq; summum fastigium  
 privati hominis implevit. Decef-  
 sit, ætate in senium vergente, an-  
 nos natus duos & quinquaginta.  
 Dices eum annos adhuc pluculos  
 vivere potuisse; verum nescis quid  
 vesper serus vehat; nescis quam  
 soleant



## SYMBOLA

soleant repente fortunæ hominibus immutari; nescis in longa vita idem accidere solere, quod in longa viâ, in qua luti plurimum est & pulveris. Mors eum non à bonis eripuit, sed à malis; persolvit tributum, cui obnoxia est omnis mortalitas, quod, velimus nolimus, est persolvendum. Sumus omnes spiritus precarij, vita data est utenda precario. Iniqui est debitoris, creditori, repositi quod suum est, facere convicium; & quum vita mortuorum sit in memoria vivorum, vivet in pectoribus mortalium, atq; in sermone versabitur. Hæc & id genus fomenta me reficiunt, avocantq; à mœrore tabifico, abducunt à lacrymis nihil proficientibus; subit illud, quid faciam? angam, excruciem ne me? quid deindè assequar? Proinde animo jam composito & mente

PYTHAGORICA.

mente tranquilla omnipotentem  
& ultramundanum Deum depre-  
cabundus rogo & oro, ut manes  
Roscij mei, in domicilium æternæ  
beatitatis accipiat, ut in Elyfio cæ-  
lesti, in cætu beatorum, ævo sem-  
piterno perfruatur, prout meretur  
ille, qui de patria bene meritus  
est, qui fuit integerrimus civis,  
optimus senator, æquissimus con-  
sul, in omni deniq; vitâ, ad amuf-  
sim formatus.

Mortuo amico à superstitute meri-  
tò tribuitur elogium. Nil in  
vita optabilius vero amico.

Hoc veluti quoddam elo-  
gium, atq; adeò epicedium, offi-  
ciosus exhibeo memoriæ amicissi-  
mi, quoniam hoc solum restat,  
quod mortuo præstare possumus.  
Si quis autem erit aliquando tam  
otiosus, tamq; ab omni serio feria-  
tus

SYMBOLA

tus, ut hæc, qualiacunq; sunt, in manus sumat, quæso hoc totum perlegat citra fastidium, nec sine sympathiâ, cogitetq; in vita nil dulcius esse, nil optabilius amico, quicum omnia, perindè ac tecum tutò libereq; loquaris, qui in rebus secundis tecum peræquè lætetur, in adversis consolatione confoveat. Talis autem nec facile invenitur, & inventus amittitur non sine maximo animi cruciatu; sicuti ego nuperrimè expertus sum, factâ Roscij mei jacturâ gravissima. Hoc quæso elogium novissimum, quod defuncto dedicamus, tam diuturnum sit, tamq; durable, ut nullâ vetustate intermoriatur, imò fiat ipsa ætate vivacius. Et cum vix tria aut quatuor nominentur apud veteres paria amicorum, spero in hoc genere amicitiam Mini Roscij & Philippi Beroaldi notam  
 poste-

PYTHAGORICA.

posteritati fore. Libuit ex amoris sincerioris affectu, in hæc quasi parerga divertere, quæ lectores lassescentes mirè reficiunt, suntq; veluti condimenta, quibus aurium fastidium repurgari consuevit, fieriq; animus vegetior ad reliqua pernoscenda.

Quâ ratione cor non comedamus.

Sed ut domum repetemus, & undè egressa est, eodem revertatur oratio; quid nobis agendum est, ut Pythagorico symbolo obtemperantes, cor non comedamus? nimirum, ut ego sentio, animus noster pro virili parte abducendus est, avocandusq; à curis edacibus, & vita cum hilaritate degenda. *Animus enim gaudens, ut ait Salomon, ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa.*

Aegri

## SYMBOLA

Ægritudo hominem facile  
conficit.

Et sanè ægritudo carnificina  
est, animum hominis exedens,  
plenèque conficiens, ex quo ipsam  
ægritudinem Chrysippus appel-  
latam putat græco vocabulo,  $\lambdaύπιν$   
quasi  $\lambdaύσιν$ , id est, solutionem to-  
tius hominis, nec immeritò; si-  
quidem homo, mœrore confe-  
ctus, tabescit, marcescit, senescit  
miser.

Hominis mœrentis descriptio.

Hinc illud de homine mœ-  
rente, non minus verè, quam sci-  
tè dictum est; refugère oculi, cor-  
pus macie extabuit, lachrymæ  
peredère humorem, exangues  
genæ situ nitoris, barba pedore  
horrida atque intonsa infuscat pe-  
ctus illuvie scabrum. Omni  
itaque contentione, velis, ut dici-  
tur,

## P Y T H A G O R I C A

tur, remisque, ægritudo elimi-  
nanda est, quæ instar carnificis atq;  
tortoris homini infert cruciamen-  
ta teterrima.

Galenus perturbationes minimè  
admittendas suadet.

Clarissimus medicinæ condi-  
tor Galenus salutariter præcipit,  
ab ira, à tristitia, à sollicitudine  
cum primis abstinendum esse; pro-  
pterea quod hæc *πάθη* .i. perturba-  
tiones & morbi, corpora nostra  
perturbant, exsiccant, exanimant.

Causa physica; cur immodica æ-  
gritudo vel gaudium sæpè in-  
terimant.

Et homo non minus sæpè mo-  
ritur ex mœroris exsuperantia,  
quam ex immodica læticia. Cau-  
sam autem, qui alterutram nove-  
rit, utramq; noscet; siquidem ut  
C apud

SYMBOLA

apud scriptores medicinæ idoneos  
 comperio, ex lætitia gestiente &  
 gaudio nimio, spiritus ac sanguis  
 unà egrediuntur ad corpora exti-  
 ma, quasi obviàm tantæ hilaritati:  
 undè fit ut calor ingenitus repen-  
 tè extingatur, sicut ignis extin-  
 gui solet, ex vehementiore ven-  
 tilatione; contrà, ex mœrore im-  
 modico, largitateque tristitiæ spi-  
 ritus & sanguis intra penetralia  
 reconduuntur, extinguuntque su-  
 bitò innatam caliditatem, sicut  
 ignis extinctus intermoritur co-  
 opertus, convolutusque cinere  
 largiore, qui eum exhalarare re-  
 spirareq; non finit.

Proverbium, Ne quid nimis,  
 quid moneat.

Plato in Menexemo laudans  
 vetus illud proverbium, quod est  
*μηδὲν ἄγαν*, *Ne quid nimis*, monet vi-  
 tam

PYTHAGORICA.

tam ita instituendam esse, ut pro-  
verbio pareamus, si benè beatèq;  
vivere velimus; nunquã n. nimis  
aut lætitiã exultabit, aut tristitiã  
vexabitur, qui nihil quicquam ni-  
mis faciet atque intemperanter, &  
ut inquit ille, gaudebit minus, &  
minus dolebit.

Euthymia Democritica sum-  
mum est hominis bonum.

Democritus ille, cui omnia &  
ridicula & ridenda esse videban-  
tur, quem ob id græci Gelasinon  
cognominavere, Summum homi-  
nis Bonum esse censebat, Euthy-  
miam: sic enim græcã voce dicitur  
animi tranquillitas, quæ vitæ bea-  
tæ effectrix est. Ametur ergò, &  
omnibus virib. appetatur, expers  
publicæ privatæq; curæ tranquil-  
litas: sit vobis cordi euthymia De-  
mocritica, h. e. animus tranquillus

C 2 &



## SYMBOLA

& proindè beatus, si cor gustare non volumus, si mœrorem mœstitudinemq; procul eliminare concupiscimus. In Ecclesiaste scriptum est, *Laudavi leticiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, & biberet, atq; gauderet.* Simus ergo in gaudio, in hilaritate, simus animo, quantum potest, defœcato, simus exporrectâ fronte, non striatâ.

Socratis vultus, uti & animus  
ejus, semper idem.

Imitemur pro virili parte Socratem, parentem philosophiæ moralis, quem Xantippe uxor prædicare solita est, semper vidisse eodem vultu exeuntem domo & revertentem, hoc est, sereno & tranquillo, in quo, in magna inæqualitate fortunæ, mira frontis & mentis æqualitas conspecta est.

Studia

## PYTHAGORICA.

Studia litterarum jucundam & serenam animi tranquillitatem pariunt.

Erimus autem hilares & gaudebundi propè perrenniter, si studijs doctrinarum animum excoluerimus, & hoc veluti suavissimo pabulo mens nostra sagine pinguescat. Sunt studia quædam, austeriora impendio, & acerbiora, quibus animus noster non tam hilarescit, quam contristatur, quæ instar mordacioris medicamēti cum amaritudine profunt; Verum studia humanitatis, & liberali musâ condita, ea habent succum, habent suavitatem. Hic est ille Sol, qui nubila humani animi serenat; Hæc est illa Syren, quæ cantu salutari mortalium corda commulcet; Hoc est illud Nepenthes, quo tristitia discutitur, curæ hebetantur, hila-

C 3 rit a

SYMBOLA

ritas conciliatur, quod omnibus  
utiq; mortalibus foret propinan-  
dum. Litteræ litterato in secundis  
rebus sunt maximo ornamento, in  
adversis maximo solatio, nihilq;  
tam triste, quod per has non fiat  
minus triste, nihil tam lætū, quod  
non fiat his lætius. Ergò igitur, ad  
unum mœroris levamentum po-  
tentissimum, ad studia confugia-  
mus, ad scribendi legendiq; solatia  
convolemus, quæ tristitudinis ma-  
culas abstergebunt, frontem sere-  
nabunt, animū defœcabunt, instar  
mundi, qui semper enubis, purus,  
liquidus, & imperturbatæ lucis est.

Helenium herba in vino pota; &  
Musica suavitas mœrorem ex-  
pellunt.

Verumenimverò sunt & illa  
ad mœrorem explodendum parva  
quidem, non tamen aspernanda  
remedia; videlicet, ut Helenium  
nobis

PYTHAGORICA

nobis præstò fit. Sic appellatur herba, ex Helenæ lachrymis nata, quæ in vino pota, effectrix hilaritatis, eâq; tristitia omnis aboletur. Habeamus & buglossam, quæ in vinum dejecta, animi voluptates auget, & ob id vocatur euphrosion, sic enim græcâ voce hilaritudo atq; lætitia significatur. Danda interdum opera aurium musicæ suavitati, quâ sensus hilarantur, quâ capitur omnè quod vivit, quæ lenit *πένθη*, hoc est, passiones animorum, & sollicitam explicat frontem, de cujus laude extat oratio à me composita, per id ferè tempus, quo adolescentulus, odas Horatij hoc ipso in Gymnasio profitebar.

Proverbium, Abronis vita, admonet, Genio nonnunquam indulgendum, & hilaritate curas dissipandas.

C 4

Simus

## SYMBOLA

Simus memores Adagij græci, quod ait, *Ἀέρον βίον*, *Abronis vita*, qui fuit dives, & vixit molliter ac beatè, nosque admonet, ut sine nubilo tristitiæ in animi serenitate vivamus. Nonnunquam geniales agendi sunt dies, & hilaritate convivali, ac potione liberali, curæ dissipandæ animusq; exhilarandus, cui non minus expedit indulgere quàm corpori. Nemo tamen existimet, me præcipere vinolentiam, agereq; vinolentorum patrocinium; non enim volo mergi vos vino, & poculis ingentibus ingurgitare mentis vigorem, sed liberalius solito nonnunquam parentare Dionysio, qui, ut morbis quibusdam: sic etiam tristitiæ medetur, curasq; ex animo foras trudit.

Bacchus cur Liber cognominatus?

Vnde

PYTHAGORICA.

Vnde Seneca Liberum dici autumat, non ob licentiam linguæ, sed quia liberat asseritq; animos à servitio curarum, quod & versiculus Lyrici Poëtæ decenter insinuat, *Dissipat Euehius curas edaces.* Plato quoq; existimavit, refici integrarîq; animos modicis interhibendum remissionibus, reddiq; eos seriores, & ad instauranda sobrietatis officia fieri habiliores.

Quot pocula exhaurienda in hilaribus convivijis, ut siti, hilaritati & voluptati satisfiat.

Libet verbis græcis subtexere id, quod luculenti græcorum scriptores prodidêre, quod memoratu & scitu dignum est, *κρατῆρ ὁ μὲν πρῶτος, διὸς ὀλυμπίου καὶ ὀλυμπίων θεῶν, ὁ ᾗ δ' ἄπειρα ἡρώων, ὁ ᾗ τίτα, διὸς ζωτῆρ,* id est, *Prima cratera est Iovis Olympij, olympiorumq;*

C 5      Deo

## SYMBOLA

*Deorum sive cœlicolarum, secunda verò  
 Heroum, tertia autem Iovis salvatoris.  
 Ad hunc intellectum referri non  
 absurdè potest illud Apulejanum,  
 Prima cratera ad sitim pertinet, secun-  
 da ad hilaritatem, tertia ad voluptatē.  
 Quidam non solum ter, sed ter  
 tria, imò ter tria ter pocula hau-  
 rienda esse demonstrant. Verum  
 nos, in honore Iovis & Cœlitum  
 & Heroum, ter bibamus, ternisq;  
 poculis satis, Siti, Hilaritati, Vo-  
 luptati, faciamus. Namque & hic  
 numerus, qui græcè trias, latinè  
 ternio dicitur, inter perfectos nu-  
 meros cum primis numeratur.  
 Ita animo refoto, si quid in eo fri-  
 gidæ tristitiæ & curæ edacioris in-  
 fuerit diluemus, poterimusque  
 commodissimè à Dionysijs ad Ne-  
 phalia sacra transire, in quibus  
 non vinum dabatur, sed aqua tan-  
 tum mulsa, quæ sobriosorum sunt  
 festi-*

PYTHAGORICA.

festivitates, quos græco vocabulo  
*νεφάλια* vocant.

Nephalia sacra qualia fuerint  
apud Athenienses.

Fiebat autem apud Athenien-  
ses, ut hoc quoq; obiter attingam,  
*νεφάλια θυσία*, i. sobrium sacrificiū,  
Soli, Lunæ, Memorix, Nymphis,  
Auroræ & Veneri, ut inquit Pole-  
mon, in quo *ξύλα νεφάλια*, id est,  
ligna sobria cremabantur. Divæ  
quoq; Ruminæ, quæ præest lacten-  
tib; infantib; nephaliū festū cele-  
bratur, in quo lac libare consueve-  
rant. Ergo ita nonnunquam vino  
indulgeamus, ut possimus animo  
exhilarato, mœroreque discusso, re-  
pentè ad Nephalia sacra converti,  
& sobriorū munia naviter capesse-  
re, caventes, ne instar anus Planti-  
næ, merobibi & multibibi, dum  
volumus discutere tristitiam, ra-  
tionem excutiamus, & mentem.



## SYMBOLA

Hæc in præsentia satis habeo decerpisse ex acervo remediorum, quæ ad mœrorem explodendum existimantur esse accommodatissima, inter quæ sunt & fabulatores elegantissimi maximeq; literati. Adhibeantur interdum & scurrilitates scurrarum, quæ, non nimia, esse solent hilaritatis illicia.

Balneum unde dictum.

Sunt & balnearum deliciae, non minus voluptuarie, quam salutares, unde illis nomen inditum esse autumat Divus Augustinus, qui in libris confessionum refert, balneum græcis ideo βαλνείον appellari, quod βαλνεί τὰς ἀνίας, id est, anxietates pellat ex animo. Ergo igitur pro virili parte elaboremus, ut symboli Pythagorici benè memores, cor minime gustemus, mœroremq; ex animo propellamus, vitam agentes hi-

## PYTHAGORICA.

tes hilariorem jucundioremq; , ut fronti serenæ gaudia interiora respondeant, ut intus & foris nubilo tristitiæ discusso, serenati simus. Nam alioqui vita non est vitalis, nisi cum hilaritate contingat, & vacuitas ab angoribus adhibeatur.

### *III. Symbolum Pythagoræ*

DE VITANDA MALORVM  
CONSVETVDINE.

Μὴ γένηθῃς Μελανέρων,

*Non oportet gustare ex Melanuris.*

Symbolum Pythagoræ μὴ γένηθῃς Μελανέρων, id est, non oportere gustare ex Melanuris, hoc est, habentibus caudas nigrantes; quo tropologicè significat, non oportere convivere cum nigris hominibus, id est, malis; quoniam ex malorum consuetudine trahuntur mali mores. ὁ πρᾶceptum sa-

C 7

lutare

## SYMBOLA

lutare ! ô symbolū in pectore memori figendum ! quo monemur, cavere à commercio nigrorum, hoc est, vitiosorum.

Candor & nigror, virtutum & vitiorum sunt signa.

Duo sunt colores, albus & niger, quorum altero virtus, altero vitiositas prænotatur. Candor est symbolum virtutis, nigritia vitiositatis. Hinc illud Persianum, *Illam prius cretâ, mox hæc carbone notasti.*

Melanuri quid sint. Illorum variæ sunt species. Dolosi homines, dolosa vestimenta.

Iubet Pythagoras abstinere à gustatu melanurorum. Dispiciamus quid sint Melanuri, ut ita noverimus, à quibus cavere debeamus. Melanuri sunt pisces, ex eo dicti, quod nigrantē habeant caudam, qui inter saxatiles numerantur. Melanuri piscis, Ennius poeta vetu-

## P I T H A G O R I C A

Vetustissimus meminit, eo verso,  
 Melanurum, turdum, merulamq<sub>3</sub> um-  
 bramq<sub>3</sub> marinam. Verum non à pi-  
 scibus id genus abstinere nos vo-  
 luit Divinus venerandusq; philo-  
 sophus, sed Symbolicòs præcepit,  
 cavendos esse homines nigros,  
 hoc est, vitiorum nigritudine de-  
 coloratos, quorù magna natio est;  
 namq; omnes impostores, fraudu-  
 lenti scriptores, omnes malitiosi  
 peculatores, nequam veteratores,  
 deniq; omnes mali sunt nigri, sunt  
 melanuri, sunt atritate notabiles.  
 Audite, quæso, quod mirù vobis vi-  
 deri poterit, non parùm multi al-  
 bati conspiciuntur, qui sunt omniù  
 nigerrimi, qui inter nos familiari-  
 ter degunt, foris Catones, intus  
 Sardanapali, in propatulo tristes,  
 domi dissoluti, qui obstipo capite  
 obambulant, quorum faciem  
 cum aspicias, haud mali viden-  
 tur, quos ex vestium candore,  
fin.

## SYMBOLA

finceros censeas & sanctos, de quibus illud meritò dici potest, *dolosi homines, dolosa vestimenta, vestimenta nulla fides.*

Quis enim non vicus abundat tristibus obscœnis? hi sermone censorio, lingua Cæloniana, alienas sordes & vitia severissimè incessunt, intercutibus ipsi vitijs madentes. E contrario sunt alij pullati & vestibus nigris atrati, quorum mens interior, nigritiæ exteriori respondet, ut intus forisq; sint nigerrimi. Ab his omnibus, quoniam sunt Melanuri, cavere & cavendum esse, præcipit symbolum Pythagoræ.

Difficile est cavere à Melanuris; quia fallunt vestitu, vultu & verbis.

Quanquam oppidò quàm arduum ac difficile est cavere à Melanuris, cum non sint omnibus cognos-

P Y T H A G O R I C A .

cognoscibiles, quum vestitu fal-  
lant & vultu, quum verborum in-  
volucris, simulationumque adum-  
brationibus mores luculentos ob-  
volvant, quum sub habitu ovium  
lupi delitefcant. Nam ut inquit  
non minus verè quam eleganter  
Plautus, *Lupus est homo homini, non  
homo, qui qualis sit non novit; non  
cuicunque obvium est judicare de  
homine, propter occultas volun-  
tates, multiplicesq; naturas, frons,  
oculi, vultus per sepe mentiuntur, oratio  
verò sapiſſimè.* Marcus Tullius ca-  
ninâ facundiâ, ac mordacitate sa-  
tyricâ invecus in Pisonem; *Oculi,*  
inquit, *supercilia, frons, vultus deniq;*  
*totus, qui sermo quidam tacitus mentis*  
*est, hic in fraudem homines impulit, hic*  
*eos, quibus erat ignotus decepit, fefellit,*  
*induxit.* Archidamus dicere sole-  
bat, *ovem unam tantum eandemq;* vo-  
*cem reddere, hoc est, balatum; hominè*  
*verò*

## SYMBOLA

verò ποικίλ' αὖς καὶ ποικίλας, id est, *mul-  
tas & varias voces efficere, donec ad id  
aliquando, quod cupit pervenit.*

Homo velut Cameleon, Protheus  
& Panterus, versipellis & di-  
scolor est.

Homo Cameleon est; nam  
ut ille colores suos multifariâ qua-  
litate commutat: ita & homo ver-  
ba immutat variatq; consilia, di-  
versissimisq; imaginibus immuta-  
tur, prout existimat esse conduci-  
bile. Homo est Protheus, qui mo-  
do leo frendit, modo anguis sibi-  
lat, &, ut inquit poeta, *Omnia trans-  
format sese in miracula rerum.* Homo  
est Panterus; ut enim hæc gemma  
ex omnibus coloribus constat: ita  
homini omnes insunt colores, ut  
difficile sit, verum hominis colo-  
rem internoscere. Sententia pro-  
babilis est, cujus & Hieremias pro-  
pheta commemorat; nec mutare  
potest Æthiops pellem suam, nec  
Par-

PYTHAGORICA.

Pardus varietates suas; At homo  
versipellē sese facit, quū lubet, est-  
q; varietate mutabilis ac lubricus.

Tria pessima CCC. notant tres  
dolosas nationes; vel tres in-  
fames viros. Omne sæculum  
fert Clodios & Catilinas. It  
nigrum campis agmen.

Tres imprimis nationes infamat antiquitas, perindè ac dolosas, & inter melanuros habendas, Cretam, Ciliciam, Cappadociam; unde scitum illud, τρία κάππα κα-  
κίστη, hoc est, tria C. pessima, tanquam per tres litteras, hæ tres nationes, quæ à littera C. incipiunt, designentur. Nonnulli hoc dictū autumāt de tribus Cornelijs, videlicet, Cornelio Sylla, Cornelio Cinna, Cornelio Lentulo, qui omnes pessimi extiterunt, turbatoresq; reipublicæ. Hi n. per tres litteras in libris Sybillinis, designati fuisse produntur. Ve-



## S Y M B O L A

Verum in omnibus gentibus in-  
 venias haud sanè difficulter , Cili-  
 cas, Cretenses, Cappadocas; inve-  
 nias & Cornelios , hoc est, pessi-  
 mos atq; Melanuros , qui in nullo  
 non genere hominum reperiun-  
 tur, quorum natio numerosissima  
 est. Omne sæculum Clodios feret  
 & Catilinas, sed nec Brutus erit  
 Bruti nec avunculus usquam ; *Rarò*  
*quippe boni numero vix sunt totidem,*  
*quot Thebarum porta , vel divitis ostia*  
*Nili.* Qui cavet ne decipiatur ,  
 etiam cum cavet , etiam cum ca-  
 visse ratus est, sæpè his cautior ca-  
 ptus est. Caveamus ergò à gusta-  
 tu Melanurorum , fugiamus lon-  
 gissimè contubernium nigrorum  
 hominum , ne & ipsi nigritiâ in-  
 ficiamur ; trahuntur enim à con-  
 versantibus mores : Et ut inquit  
 Menander, *Corrumpunt bonos mores*  
*confabulationes pessime.* Vivamus  
 cum

PYTHAGORICA

cum Lælijs , cum Catonibus, qui  
 ex bonis optimos efficere possint.  
 Quoties autem Melanuri occur-  
 rant , proclamemus , *Hic niger est,*  
*hunc tu Romane caveto.* Hemisti-  
 chium est Ennianum de Elephan-  
 tis, *It nigrum campis agmen,* quod A-  
 cilius dicit de Indis; quod Maro  
 noster de formicis loquens , de-  
 center usurpat; Et nos quoq; de  
 Melanuris disertantes , neq; in-  
 concinniter, neq; intempestivè di-  
 camus, *It nigrum campis agmen;* nam  
 agminatim nigri, hoc est, vitiorum  
 labe decolorati, & nigritia morum  
 infecti , euntes conspiciuntur , à  
 quorum gustatu , ut symbolum  
 Pythagoræ salubriter monet, qui-  
 cunq; temperaverit, is vivet inof-  
 fensus honestiusq;.

*IIII. Symbolum Pythagoræ*

DE POTENTIORVM IRA NON  
 PROVOCANDA.

πὸ πῦρ

SIMBOLA

Τὸ πῦρ μαχαίρα μὴ σκαλῶναι.

*Ignem gladio ne fodias.*

Symbolum Pythagoræ est, τὸ πῦρ μαχαίρα μὴ σκαλῶναι, hoc est, *Ignem gladio ne fodias*, quod signat, potentiam, iram & tumentem animum non esse lacessendum, quod sane periculosius est, quam irritare crabrones.

Tiberij, de linguæ licentia, dictū, ubi & quatenus valeat.

Tiberius Cæsar subindè dictabat, linguam mentemq; liberas esse debere: valeat hoc quidem in liberâ civitate progenitis, ut lingua & mente sint liberiores licentioresq;. Verum apud principes, cautissimè agendum est, ne ignem gladio fodiamus, hoc est, ne quid à nobis aut agatur, aut dicatur, quod principem lædat, provocetq; ad iracundiam.

Aristo-

## PYTHAGORICA

Aristotelis & Cestij admonitio,  
quomodo cum Regibus sit col-  
loquendum.

Aristoteles Callisthenem salu-  
briter monuit, ut cum Alexandro  
Magno, aut rarissimè aut jucundis-  
simè loqueretur, quo scilicet apud  
regias aures, vel silentio tutior,  
vel sermone esset acceptior; at ille  
dum intempestivis salibus perfric-  
cat regem, cruciabiliter perem-  
ptus, pœnas dedit urbanitatis lin-  
guæq; liberioris. Dicere solebat  
Cestius declamator; ea etiam quæ  
regibus profint, ita suadenda esse  
ut delectent, & nihil, nisi cum  
summâ veneratione esse dicendû.  
Igitur qui apud Principem verba  
est factururus, ita dicat, ita verba per-  
pendat, ut multâ adulatione ani-  
mus ejus permulceatur; siquidem  
in auribus habitat animus, maxi-  
mèq; potentiorum, prout jucunda  
audiunt & grata, ita hilarescunt  
vel indignantur. Immo.

## SYMBOLA

Immodica assentatio pernicioſa  
eſt; Exemplo ſunt Athenien-  
ſes.

Servandus eſt inde modus, quē  
in rebus omnibus utiliſſimū per-  
hibent, ne aſſentatores adulator-  
reſvé eſſe videamur, ne nobis  
blanditiæ noſtræ detrimento ſint  
atque diſpendio, ſicut olim acci-  
dit Athenienſibus ad omnem aſ-  
ſentationē naturā formatis. Nam  
cum M. Antonius ille triumvir  
vellet ſe dici Liberum Patrem,  
habitu quoque & comitatu Deum  
imitaretur, occurrerunt venienti  
ei Athenienſes cum conjugibus  
& liberis, cumq; Dionyſium ſalu-  
taverunt. Benè illis ceſſerat ple-  
na hæc adulationis ſalutatio, ſi at-  
ticus ibi lepos ſubſtitiffet; verum  
progredientes dixerunt, ſe M. An-  
tonio deſpondere in matrimonio  
ſuam Minervam, rogaveruntque  
ut eam duceret uxorem; tunc An-  
tonius

P Y T H A G O R I C A .

tonius dixit, se ducturum, verum  
dote opus; itaq; dotis nomine,  
se illis imperare mille talenta; &  
ita Atheniensibus, indecoræ im-  
modicæq; adulationes, mille ta-  
lentis constitere.

Liberior linguæ dicacitas exi-  
tiosa est, exemplo est Theo-  
critus.

Contra Theocritus ignem  
gladio fodit, hoc est, iram regiam  
maledictis elicit, pœnasq; dedit  
dicacitatis mordacioris; Nam cum  
ad Euterpionem coquum dicaciter  
dixisset, *Cyclopi me crudum appones;*  
hoc dicto taxavit regem Antigo-  
num, qui luscus erat & cocles, nec  
non coquinariam coquo oppro-  
bravit; Euterpioni, hac dicacitate  
pulsato, non defuit falsa lædoria,  
*capite igitur carebis, inquit, & hujusce*  
*scommatis pœnas pendes; mox*  
**D** rem

SYMBOLA

rem ordine Antigono denarravit,  
 qui continuò immisit percussores,  
 & ita Theocritus ob nimiam lin-  
 guæ licentiã, capite mulctatus est.  
 Curemus ergò, & caveamus omni  
 diligentia, ne ignem gladio fodi-  
 entes, iram principalem acuamus,  
 ne ob id dictum factumq; tantil-  
 lum, excandescat in nos princeps,  
 ne ad indignationem provocetur.  
 Et quum sæpè lubricum linguæ,  
 causa exitij sit, prospiciamus ne  
 linguâ temerariã, malum in nos-  
 metipfos contrahamus, sicuti Cæ-  
 sias, nubes; ne more pyraustæ  
 mortē nosmet ipsis consciscamus,  
 de quo proverbium græcorum,  
*πυραύστῃ μὲν ὄφθιμος*, pyraustæ mors.  
 Namque ut apud Curtium inquit  
 egregiè Alexander Magnus, Re-  
 gum ducumq; clementia, non in ipso-  
 rum modò, verum etiam illorum, qui  
 parent, ingenijs sita est; siquidem ob-  
 sequio

PYTHAGORICA

*sequio mitigantur, contumacia fiunt  
truculenti.*

Philosophorum quorundam per-  
versa calumniandi libido me-  
ritò refrænanda est.

Annotatum est, quod in præ-  
sentia subit mentem, philosophos  
quosdam reperiri contumaces, re-  
fractarios & contemptores prin-  
cipum atq; magistratuû, qui tunc  
se verè philosophari existimant,  
si liberius obloquantur & licen-  
tius, tanquam philosophia sit li-  
bertas quædã & magistra loquen-  
di & vivendi, prout libido est;  
verum tales sedulò monendi sunt,  
ut philosophandum aliter putent,  
ne philosophiæ nomine sanctissi-  
mo abutantur, ut de principibus,  
per quos ipsis frui tranquillo otio  
licet, honestissimè loquantur &  
sentiant, sintque memores Hora-

D 2           tia-



SYMBOLA

tianæ sententiæ, *Principibus placuisse  
viris non ultima laus est.* Sciant prin-  
cipum vires esse prævalidas, &  
manus prælongas: sciant principes  
vitæ necisq; mortalium esse impe-  
ratores; Si Rex dixerit, occidite,  
occidunt, exterminate, exterminant:  
ne sint, quæso, maledici &  
convitiatores.

Cynica mordacitas mortifera est.  
Linguae thesaurus est optimus.

Cynica mordacitas procul ab-  
fit, multi mortifera loquuntur, re-  
diturasq; per jugulum voces non  
continent, plurimis ob id inter-  
emptis. *Optimus est homini,* ut inquit  
Hesiodus, *lingua thesaurus,* quam  
intra vallum dentiũ coercendam  
esse, sapienter monet. Et (ut docet  
*Æsopica fabella*) lingua & optima  
& pessima mortalibus, cujus lu-  
bricum multos præcipites dedit,  
qui-



P Y T H A G O R I C A

quibus fuisset conducibile, Pythagoricum silentium edidicisse, neq; in Dynastas, Tetrarchas, Regulos exeruisse linguam virulentam, quæ atra, ceu serpentū vibrat, & instar acuti gladij fodiat vitalia. Quotusquisque est, qui malit dictum quam amicū perdere, qui aculeū linguæ retundat, qui theonino dente non mordeat; deniq; quotusquisq; est, qui ignem gladio non fodiat? nos vero obtemperantes symbolo saluberrimo, potētiores demereamus obsequio pleniori, nec verbo nec re provocantes principalis animi tumorem.

Si prodesse non possis. etiam obesse nolis Nemo sinisteris sermonibus carpendus.

Denique hæc fit summa nostri propositi, ut pro virili parte pla-

D 3

cea-

SYMBOLA

ceamus & obsequamur, & si prodesse non possumus, minimè obesse velimus. Sed quod de principibus irritandis dictum est, hoc idem de omnibus in universum dictum sit, ne scilicet quidpiam in quempiam aut dicamus aut agamus, quod bilem moveat, iracundiam extimulet, animum tumorem incentivo furoris inflammet. Habes uxorem jurgiosam & morosam, qualis Xantippe in Socratem fuisse fertur, nolito irritare crabrones. Est tibi res cum homine iracundo & rixoso, nolito verbis maledicis laceffere. Deniq; ubiq; locorum, ubiq; gentium, memor sis symboli Pythagorici, ne scilicet ignem gladio fodias. Nam, ut inquit verissimè simul & sapientissimè Salomon, *Sermo mollis frangit iram, sermo durus suscitatur furorem.*

*Sym-*

PYTHAGORICA.

V. *Symbolum Pythagoræ*

DE VITAE LIBERTATE.

Μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον,

*Annulum angustum non gestan-  
dum.*

Symbolum Pythagoræ est ,  
μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον , hoc est ,  
*annulum angustum non gestandum*; quod  
significat , vitæ libertatem colen-  
dam esse , & nullo servitutis vin-  
culo alligandam. *Libertas*, ut inquit  
Jurisconsultus, *in æstimabilis res est* :  
cui concinit illud Plautinū, *Omnes  
profectò, liberi libentius vivimus, quam  
servimus*, ab eodem alibi dictum  
est, *Procreare liberos, lepidus sonus, at  
liberum esse, id multo est lepidius*; con-  
trà, *omnis misera est servitus*, ut inquit  
Arpinas Orator, *quam nostra civitas  
ferre non potest, & civibus Romanis,  
mors potior fuit servitute.*

D 4

Exem-

## SYMBOLA

Exempla duo memorabilia, Spartanorum & Atheniensium libertatem fortiter tuentium.

Scitum est illud dignumq; memoratu, quod à Spartanis legatis olim dictum est Hydarnæ regio præfecto, qui cum eos hortaretur, ut sese dederent maximo Persarum regi, pollicereturq; Lacedæmonios principatum Græciæ obtenturos, ita responderunt; *O Hydarnes, non ex æquo consilium tuum ad nos spectat, atq; ad te, qui conditionis, quam suades, expertus est, nostræ expertus. Nam servus tu quidem esse nosti, libertatem autem nondum expertus es, utrum sit dulcis, annon; quæ si tibi benè cognita foret, non ut hastis, sed ut securibus pro ea dimicaremus, nobis suaderes.* Sicut autem liberè loquuti sunt hi Lacedæmoniorum Oratores: ita & liberè fecerunt; siquidem in conspectum regis venientes,

tes,

PYTHAGORICA.

tes, jubentibus satellitibus regis, ut procumbentes, regem adorarent, eâ adoratione, quam græco vocabulo *προσκύνησιν* appellant, pertinaciter negaverunt, se unquã id esse facturos, neq; enim sibi esse consuetudinem, hominem adorandi. Tanti erat libertas apud homines, qui servitatem omnium malorũ maximum arbitrabantur. Quid? nonne Athenienses quiddam confimile egerunt & dixerunt? quorum verbum illud à græcis scriptoribus præconio laudis extollitur, qui Lacedæmonijs timentibus, ne cū Barbaris fædus percuterent, respondere; neq; tantum auri usquam gentium est, neq; regio ulla, pulchritudine & bonitate præcellens data pro fœdere, persuaderet, ut induceremur ad tradendam servituti Græciam, Barbarisq; subjiciendam; Et illud;

D 5

quoad

## SYMBOLA

quoad Sol eodem itinere meabit,  
 quo nunc meat, eousq; se nunquã  
 cum Xerxe societatem coituros.  
 Ex hisce satis liquet, quemadmo-  
 dum Libertas omnibus rebus est  
 anteponenda, & servitus propul-  
 sanda.

Iovi Liberatori morituri Athe-  
 nienses libant. Solus Sapiens  
 dives.

Apud eosdem Athenienses ce-  
 lebratur *ἡ δὲ ἑστὶν ἡ δὲ*, id est, Iu-  
 piter, cognomento Liberator, tan-  
 quam à servitute Persarum & ju-  
 go illos liberasset, cui fortes viri &  
 illustres in extremo exitu libare  
 consueverant; hinc illud à Seneca  
 moriente dictum est, *libare se liquo-  
 rem illum Iovi Liberatori.* Tharses  
 quoq; ille memorandus, postquã  
 sectis utriusq; brachij venis, cruo-  
 rem effudit, humum spargens, li-  
 bemus

PYTHAGORICA.

bemus, inquit, Iovi Liberatori.  
Plautinus servus agit Eleutheria,  
quasi dicas, Libertatis solennia,  
quibus nihil preciosius est. Rectè  
igitur *Solus sapiens appellabitur liber*,  
utpote qui nec dominationi cujus-  
quam pareat, nec obœdiat cupidi-  
tati, cujus animo vincula nulla  
inijci possunt.

Cappadoces libertatem ultrò à  
Romanis oblatam spontè re-  
cusarunt. Nemo hominū pla-  
nè liber. Affectus & vitia do-  
mini sunt imperiosissimi.

Rem miram vobis denarrabo,  
sed tamen veram, si veridici sunt  
scriptores, qui tradunt, Romanos  
Cappadociæ genti concessisse, ut li-  
beri essent; primores Cappadocū  
libertatē recusasse, dixisseq; se eam  
ferre nō posse, & ut sibi Rex dare-  
tur, oravisse; tū Roman: demiratos,

D 6

quod



SYMBOLA

quod invenirentur, qui libertatē recusarent, permisisse, ut quē vel-  
lent, regem eligerent, qui Ariobar-  
zanem elegerunt, malueruntque  
sub jugo servitutis degere, quam  
frui dulcedine libertatis; symbolū  
Pythagoræ videlicet parūm pro-  
bantes, quo præcipit, *angustum an-  
nulum non gestandum*, liberèq; viven-  
dum; quanquā, Dij boni, vix ho-  
mo quisquam invenitur, qui verè  
liber sit, veraque libertate perfrua-  
tur. Principes, Dynastæ, Reguli,  
deniq; ipsi regum reges servitutē  
serviunt, dominosque habent, &  
quidem imperiosissimos; alius li-  
bidini, alius cupiditati, alius iræ,  
alius ambitioni, alius gloriæ, alius  
crudelitati servit, alius omnibus,  
totq; dominorum sunt servi, quot  
vitiorū, quæ intrinsecus fodicant,  
hominemq; divellunt. Nos pro  
virili parte curemus, ut juxta sym-  
bolum

PYTHAGORICA

bolum Pythagoræ, nihil fit in nobis astricti, nihil alligati, ut arctū servitutis jugum excutientes, liberi solutique vivamus. Dogmatis Pythagorici videtur Flamen Dialis apud Romanos fuisse servantissimus, cui fas non erat annulo uti nisi pervio & casto; & nos anulum pervium laxumque induamus, ut nulli addicti fimus & mancipati; faciamusque illud Plautinū, *Liberæ sunt ades, liber sum ego, liberè me uti volo.*

VI. *Symbolum Pythagoræ*

DE FUGIENDIS LOQUACIBVS.

Ὁμωροφίςς χελιδόνας μὴ ἔχειν.

*Hirundines sub eodem tecto ne habeas.*

Symbolum Pythagoræ est, ὁμωροφίςς χελιδόνας μὴ ἔχειν, hoc est, *hirundines sub eodem tecto non habendas;*

D 7      das;

## SYMBOLA

*das*; quod significat, garrulos & loquaces esse explodendos eliminandosq;, à quibus perinde ac exitialibus cavendū præcipit Satyricus Venufinus, quum ait; *Garrulus hunc quando consumet, quumq; loquaces, Si sapiet, vitet.* Græca vox est, ψιθρον ἀνδρα ἐκφαλε τῆς οἰκίας, hoc est, hominem blateronem & garrulum ex domo tua eijcito.

Thersites & Tantalus garruli non eligendi pro amicis.

Homerus, ingeniorum fons, Thersitem, dicit, ἀμετροπέσι, .i. sine modo blaterantē, & loquutulejum Tantalū, fuge. Ille tibi fit familiaris & intimus, qui verborum est vir paucorum; qui scit se à naturâ formatum esse ad pauciloquium, quæ duos homini aures dedit, os unum, ut videlicet plura audia-

## PYTHAGORICA.

audiamus, quam dicamus, firmusq;  
auscultatores magis, quam immo-  
dici fermocinatores.

Pythagoras primum docebat di-  
scipulos silere & meditari.

Pythagoras loquacitatem usq;  
quaq; repudians, discipulos elin-  
guabat, quos nihil prius docebat  
quam tacere, eratq; hoc primum  
apud illum sapientiæ rudimentū,  
meditari condiscere, loquitari de-  
discere; loquaciores in quinquen-  
nium velut exilio vocis punie-  
bantur.

Loquaces quales sint & undè no-  
scantur.

Salutare est, auditores optimi,  
Pythagorissare, hoc est, Pythago-  
ræ documenta sectari, præcipien-  
tis, ut à commercio caveamus il-  
lorum

## SYMBOLA

lorum hominum , quos antiquitas loquutuleios , blaterones, linguaces appellat, quorum ora scaturiūt verbis futilibus & lapsantibus, quorum lingua infrænis est & prodiga, similisq; graculorum sine modo strepentium, in quibus est verborum vis larga, & sonitus inanis, citrà scientiam & sententiam. Hæ sunt hirundines, quarum garulitatem explodendam, nec sub eodem tecto habendam esse, præcipit Pythagoricum symbolum. Hi sunt multiloqui, largiloqui, falsiloqui, mendaciloqui, quos si eliminaveritis, vivetis modestius & tutius, diceturq; , vobis auscultatores magis, quàm loquutores esse cordi. Ut autem discerniculo quasi quodam internoscere id genus hominis possitis, *auricularum magnitudo* indicabit, quæ, ut autor est Trogus, *nota est loquacitatis.*

*Sym-*

PYTHAGORICA.

VII. *Symbolum Pythagoræ*

DE LABORE ET CVRA VI-  
CTVS.

Ἐπὶ χοίνικι & μὴ κατίζειν.

*Super chænice ne sedeas.*

Symbolum Pythagoræ est, Ἐπὶ  
χοίνικι & μὴ κατίζειν, id est, *super*  
*chænice non sedendum*, quo monemur  
de crastino esse cogitandum, & de  
futuro habendam curam.

Chœnix cibum diurnum signifi-  
cat. In securos & voluptua-  
rios sententiæ.

Est enim Chænix apud Græ-  
cos cibus diurnus. Barbarorum est,  
inquit M. Tullius, *in diem vivere*,  
*peritissimorum vero est in horas vivere*,  
quales Antonianos affectas objur-  
gatione censoria incessit summus  
orator, de quibus dici potest, *Edunt*  
*& bibunt tanquam crastino morituri;*  
qui

SYMBOLA

qui versiculum Maronianum probantes dicunt, *pereat qui crastina curat*; qui illud Horatianum concinentes cantillant, *Quid sit futurum cras, fuge querere, & quem fors dierum cunq; dabit, lucro appone*. Subscribit Horatiano versiculo illud Senecæ, *Qui pendet ex crastino, perdit hodiernum, singulos dies, singulas vitas puta*.

Epitaphium Sardanapali symbolo Pythagoræ reclamationat.

Epitaphium Sardanapali, symbolo reclamationat, quod sic inquit, *Ede, bibe, lude, &c.* Et, *Cum te mortalem noris, presentibus exple Delicijs animum, post mortem nulla voluptas*. Euangelica quoq; illa sententia, *Nolite solliciti esse de crastino, sufficit enim diei malitia sua*, ab heluonibus usurpari solet, detorque-riq; in interpretationem deterior-rem.

PYTHAGORICA

rem. Verum hæc nos alio intel-  
lectu sanctiore explicare consue-  
vimus.

Diogenes Himerobius cognomi-  
natus.

Diogenes Hemerobius cogno-  
minatus est, quasi diarij victus, qui  
modico parabilique contentus, in  
diem viveret, de quo est apud  
græcos illa celebrata paræmia,  
ζῶν πῖθξ, vita dolij.

Vult Pythagoras, quod & Salo-  
mon monet, ut diligentem  
formicarum laborem imite-  
mur. Pulchra laboris formica-  
rum descriptio.

Symbolū Pythagorę est saluber-  
rimū, quo docemur somnū excu-  
tere atq; torporem, imitariq; for-  
micas, q̄ hyemis memores, æstate  
con-



SYMBOLA

congerunt alimenta in horreum,  
 rectoq; reponunt; & ut ait nobi-  
 lissimus poeta, *pradamq; per herbas,*  
*convectant calle angusto, pars grandia*  
*trudunt obnixè frumenta humeris, pars*  
*agmina cogunt, castigantq; moras, opere*  
*omnis semita fervet.* Dij boni, quanta  
 in tantulis animalibus sedulitas,  
 quantus in opere labor, quam dili-  
 gens concursatio. Si quis comparet  
 onera, quæ gestant corporibus illa-  
 rum, fateatur nullis portione vi-  
 res esse majores. Salomon con-  
 decenter mittit nos ad formicas  
 spectandas imitandasq; , *Vade, in-*  
*quit, ad formicam, ô piger, & conside-*  
*ra vias ejus, quæ parat æstate cibum sibi,*  
*& congregat per messem, quod comedat.*  
*Vsquequid piger dormis? veniet tibi*  
*quasi viator, egestas, & pauperies quasi*  
*vir armatus.* Haud abfimile est il-  
 lud Plauti ex Rudente, *Nimis homo*  
*nibili est, qui piger est, nimisq; id genus*  
*ego odi malè.* Vi-

PYTHAGORICA.

Vigilare decet hominē, qui vult  
sua temporī conficere officia: qui  
dormiunt libenter, sine lucro &  
cum malo quiescunt. Confimili-  
ter Plautinus senex in Mer-  
catore, *Adolescens cum sis, tunc quum  
est sanguis integer, rei tuæ quærendæ  
convenit operam dare.*

Gravis & salutaris adhortatio ad  
labores.

Simus ergo impigri & strenui,  
toleremus labores, dum anni fi-  
nunt & vires; paremus in juven-  
tâ id, quo in senectâ perfruamur;  
vivamus juvenes in fretō, ut senes  
quiescamus in portu, ut in senectâ  
pigri & otiosi, si collibuerit, esse  
possimus. Ita symbolo Pythago-  
rico obtemperantes, super chæni-  
ce non sedebimus, hoc est, in diem  
non vivemus, neq; Himerobij, id  
est, dialis victus nuncupabimur,  
sed formicæ parvulæ exemplo,  
con-

SYMBOLA

congerentes in horreum, habebimus craftini, hoc est, futuri rationem, dabimusq; strenuè ac naviter operam, ne per defidiam atq; torporem subrepat improvisa pauperies, meritoq; rideamur, cum turpe sit viro sapièti dicere, NON P V T A R A M. Præterea chænix mensura est capax quatuor sestartiorum, ut docet Priscianus illo versu; sestartius unus, Qui quater assumptus, fit grajo nomine chænix.

VIII. *Symbolum Pythagoræ.*

DE MODERATO CONCVBITV,

Et

DE REIPVBL. ADMINISTRATIONE.

Κυάμων ἀπέχεσθ.

*A fabis abstineas.*

Varia & discrepantes hujus symboli explicationes.

Sym-

## P Y T H A G O R I C A

Symbolum Pythagoræ præcipit, *κράτων ἀπέχεσθαι* id est, à fabis abstinendum. Discordes sunt variæq; sententiæ eruditorum, cur Pythagoras à fabis abstinendum esse censuerit.

Ciceronis & plinij una eademq; explicatio.

Marcus Tullius ideo Pythagoricis interdictum putat, ne faba vescerentur, quia id genus legumenti habet inflationē magnam; constatq; eum cibum, quærentibus tranquillitatem mentis, esse contrarium. In hanc sententiam non tam pedibus quam stylo vadit Plinius sic scribens: *Faba hebetare sensus existimata, & insomnia quoq; facere, ob hoc, Pythagoricâ sententiâ damnata.*

Expli.

## SYMBOLA

Explicatio symboli metaphysica,  
sed vana, Varronis opinio.

Quidam prodidère idcirco fabam à Pythagora repudiari, quoniam mortuorum animæ sint in ea; qua de causa parentando quoq; assumebatur, hodieq; in parentali-  
bus ferialibusq; erogatur, inter hominũ mendicabula. Varro & ob hæc flaminem eâ non vesci tradit, quoniam & in flore ejus litteræ lugubres reperiantur.

Faba Pythagoræ cognata est.

Horatius elegantissimè dixit, Fabam esse Pythagoræ cognatam, propterea quod à faba non secus abstinebat, quam à cognata cognatus abstineat. Hinc alter Satyrographus de Pythagora loquens ait, *ventri indulsit non omne legumen*, qui ne fabas conculcaret, campum fabacium introire recusavit, & ita se ini-

PYTHAGORICA.

se inimicis insectantibus præbuit  
trucidandum.

Quidam ajunt; à fabis abstinere,  
est Veneris consortium fugere.

*Urisse  
Veneris  
Fugere*

Quidam diligentius scitiusque  
arcanam Pythagoræ doctrinam  
pensitantes, autumant symbolicè  
& opertè eum voluisse homines  
non à faba edenda abducere, sed  
à rei veneræ proluvio submove-  
re. Nam *κνάμυς* & fabam & te-  
sticulos significare tradunt; & re-  
verâ fabæ genitalibus, maximèq;  
virili balano, hoc est, glandi sunt  
perquam similes, quod & græci  
scriptores prodiderunt. Cum er-  
gò dixit Pythagoras, *κνάμων ἀπέ-  
χεσθαι*, non legumine fabaceo ab-  
stinere nos voluit, sed à coitu suf-  
frenare, ut castè scilicet ac sanctè  
vitam degeremus; qui olim in-  
terrogatus, quando *ἀφροδίσια*, hoc  
E est,

## SYMBOLA

est, venerea forent exercenda,  
tunc, inquit, cum te ipso infirmior  
fieri vis atque debilior. Ad hunc  
intellectum refertur Empedocleū  
carmen, *Ab miseri à cyamo miseri  
subducite dextras.*

Concubitus honestus & modera-  
tus, concessus, necessarius & sa-  
lubris est. Venus immodica  
turpis & noxia.

Non tamen credamus in totum  
nobis concubitu interdictum esse  
& Venere, quod perniciosum ma-  
gis esset quam salutare. Nam con-  
cubitus sicut frequens soluit cor-  
pus: ita rarus excitat. Et sicut Ve-  
nere, si modus absit, nihil pernici-  
osius: ita bonæ valetudini nihil  
penè utilius, si modicè rarenterq;  
exerceatur. Galenus maximus  
medicorum, refert, se novisse vi-  
ros, virtute & sanctitate venerabi-  
les, qui abstinentiâ coitus ultro-  
neâ,

PYTHAGORICA.

neâ, adeo contristarenrur, ut appetentia & concoctio & bona valetudo afficeretur. Hinc scitum illud Cynici Diogenis memoratur, qui cum ex instituto philosophiæ esset continentissimus, tamen concubitu, quasi purgatorio medicamento utebatur, non voluptatis causa, sed bonæ valetudinis; qui olim tentigine satyriove extimulatus, scortum continuo iussit per nuncium evocari, quo serius adventante, factus est mastuprator; mox cum meretrix advenisset, manus, inquit, mihi fuit pro concubina, implevitque vicem meretricis. Ex quo satis liquet venerandos & graves & philosophicos viros vti venere, non ob voluptatem, sed ob valetudinem, ut ita exuperantiâ noxij seminis releventur.

Etenim non minus ex desiderio

E 2

natu-



## SYMBOLA

naturali excrementa genituræ, quam stercoreis & urinæ foras egerenda sunt: Et ut ait Seneca, *Libido quæ necesse est, effluat.* Et ut Aristoteles Pliniusque notificant, venus medetur melancholicis mente captis, dolori lumborû, hebetationiq; oculorum. Verum, diverticulo repetatur instituta narratio, & symbolum Pythagoræ per multiplicem interpretationē latissimè expandatur.

Plutarcho à fabis abstinere, est Gubernationem Reipubl: recusare.

Plutarchus Chæronensis, qui meritò Polyhistor, hoc est, multiscius, nec minus polygraphotatus dici potest, existimavit, Pythagoram, hoc symbolo, quo præcipitur, ut à fabis abstinenceatur, nihil aliud præcipere voluisse, quam ut ab administratione reipublicæ abstinenceamus; propterea quod fabis

suf-

PYTHAGORICA.

suffragia antiquitus ita ferebantur, sicut hac quoque tempestate fieri vulgo conspicimus, ut per fabas albas annuentes suffragemur, per nigras renuentes refragemur. Qui ergò dixit, ut à fabis abstineremus, symbolicòs dixit & opertè, ne ad rempublicam administrandã accederemus, tanquam negotium id sit molestum, difficile, periculosum.

De difficultate administrationis  
Reipublicæ Demosthenis sententia.

Demosthenes ille oratorum decus, & eloquentiæ græcæ columen, adolescentes à reipublicæ curatione dehortari solebat, affirmans; si duæ essent viæ ab initio vitæ, mortalibus propositæ, quarum altera ad rempublicam, altera ad interitum manifestarium ferret, essentq; manifesta omnia, quæ subire oportet,

SYMBOLA

tet, rempublicam gerentes: videlicet odia, calumnias, invidias, simultates, certamina, terrores; illam potius electuros homines, quæ ferret ad interitum. Hæc sentiebat dicebatque Demosthenes, cui utiq; credi convenit, utpote id vitæ genus experto, cum in republ: Atheniensium diu versatus, affatim novisset, quid mali foret & incommodi in rerumpublicarum administratione.

Epicuri & Zenonis concursus diffiduum.

Dux philosophorum sectæ, Epicureorum scilicet & Stoicorum, in hac re diffidio quasi quodam concinunt, fiuntque concordēs, & utraq; ad eandem metam diversâ viâ tendit. Epicurus ait, *Non accedet ad rempublicam sapiens, nisi si quid intervenerit.* Zeno ait, *Accedet rempublicam sapiens, nisi si quid impedierit;*

PYTHAGORICA

rit; ita alter otium ex proposito  
petit, alter ex causa.

Præstantissima sapientis actio, est  
gubernatio Reipublicæ.

Contrà dici talia audio, quâ ad  
tuendos conservâdosq; homines,  
hominē natū esse videamus, con-  
sentaneum est huic naturæ, ut sa-  
piens velit gerere & administrare  
rempubl. ; Et cū ad laudē & decus  
nati institutiq; simus, unde laus  
major & decus homini esse potest,  
quâ ex administratione reipubl. ?  
Et quum homines ad agendū esse  
natos constet, quumq; actionum  
plura sint genera, inter maximas  
actiones hominis est rerumpubl:  
administratio. Nempè ab homi-  
ne hoc exigitur, ut pro sit homini-  
bus, si fieri potest multis, si minus,  
paucis, si minus proximis, si mi-  
nus suis; quomodo ergo prodesse  
homo hominib. poterit, si se jun-  
xerit à negotijs, in otiumq; proje-  
cerit ?

E 4 Du-

## SYMBOLA

Duplex Respublica, Literaria &  
Civilis. Illa Philosophorum,  
hæc Politicorum.

Scitote duas esse Respublicas;  
alteram magnam & verè publi-  
cam, quâ Dij atq; homines conti-  
nentur; alteram pusillam, cui nos  
conditio nascendi assignavit; hæc  
autem, exempli causa, est Roma-  
norum, Atheniensium, & ut meos  
quoq; attingam, Bononiensium,  
quæ non ad homines omnes per-  
tineat, sed ad certos.

Alij Philosophantur; alij nego-  
ciantur; alij utrumq; agunt.

Sunt quidam, qui utriq; rei-  
publicæ operam dant, majori scili-  
cet & minori, qui philosophantur  
simul & negotiantur. Quidam  
tantum minori, ut sunt Romæ se-  
natores, in municipijs Decurio-  
nes, & hi., quos politicos appel-  
lant.

P Y T H A G O R I C A .

lant. Quidam tantum majori, ut sunt philosophi & disciplinarum ingenuarum studiosissimi. Nos verò huic majori Reipublicæ deserviamus, cui melius in otio, quàm in negotio, melius à feriatis, quam ab occupatis opera dari potest; in qua haud dubiè, fusius, prolixius, commodius, quam in illa minore, multis prodesse poterimus. Siquidem vir litteratus, non solum suis municipibus, verum etiam alienigenis proderit, non solum viventibus, verum etiam nepotibus & posteritati consulet.

Nulla ferè Respublica civilis, quæ Sapientem, aut quam Sapiens pati possit.

Præterea interrogo vos, ad quam rempublicam sapiens fit accessurus? Atheniensium ne? in qua Socrates damnatur, in qua

E s The-

SYMBOLA

Themistocles & Aristides ostracismo, quod exilij decennialis nomē est, indignē mulctantur. An Carthaginensium? ubi imperatores per inhumanam crudelitatem tolluntur in crucem. An in Romana Republicā senator existet? in qua Camillus mittitur in exilium; in qua Scipio ille belli fulmen horrorq; Carthaginis profugus & extorris literni vitam egit, expertus cives suos ingrattissimos, cui uni Roma & salutem & imperium, si beneficia pensaret, referre debebat. Ne longum faciam, si percensere singula voluero, nulla prorsus, nulla respublica inveniri poterit, quæ sapientem, aut quam sapiens pati possit.

Quæ populus probat, Sapiens ignorat; quæ Sapiens callet, vulgo displicent.

Isocra-

## PYTHAGORICA.

Isocrates ille Rethor, cujus domus fuit officina dicendi, cum in convivio à sodalibus rogaretur, ut aliquid in medium de eloquentiæ suæ fonte proferret, id munus ita deprecatus est; *Quæ præsens, inquit, locus & tempus exposcit, ego non calleo, quæ ego calleo, nec loco præsentis sunt apta nec tempori.* Confimiliter Sapiens qui symbolum Pythagoræ observans, abstinet à fabis, hoc est, ab administratione reipublicæ, dicere poterit, quæ probat populus, ego nescio, quæ ego scio, non probantur à populo, & idcirco à regenda republica refilio.

Civilem disciplinam ultimò docebat Pythagoras discipulos.

Ipsè Pythagoras regèdæ reipub. disciplinã discipulis suis ultimam tradebat, jam doctis, jam perfe-

E 6

ctis,



## SYMBOLA

ctis, jam sapientibus, jam beatis.  
Tantos enim ibi fluctus videbat,  
ut eis nollet committere, nisi vi-  
rum, qui rectum clavum tenere,  
& scopulos posset evitare.

Veram vitæ tranquillitatem Sapi-  
ens quærit in secessu & otio li-  
terario. Studijs literarum nil  
beatius.

Quas ob res non parum mul-  
tos fuisse accepimus, qui in am-  
plissimum locum atque ordinem  
pervenire potuissent; qui quidem  
videbant, qualis in vita senatoria  
splendor inesset, quanta ornamēta,  
quæ dignitas; sed ordine suo atq;  
cōditione contenti, vitā tranquillā  
& quietam, remotam à procellis  
invidiarum, turbinibusque reipu-  
blicæ sequi maluerunt, beatitudi-  
nem ipsam tranquillitate metien-  
tes, quum M. Tullius fortunatos  
eos

## P Y T H A G O R I C A

eos homines iudicet, qui remoti à studijs ambitionis, otium ac tranquillitatem vitę sequuti sunt. **Q**uidam in studijs litterarum, quibus nil beatius, beatissimè quieverūt, nonnulli in agris vixerunt, oblectati rusticatione, rusticanisque voluptatibus & commodis.

Laus agriculturę.

Et profectò si rem sollerter excutere velimus, atque æquã lance perpendere, proculdubio dijudicamus, nil agricolatione uberius esse, nil dulcius, nil libero homine dignius. Cujus laudes celeberrimi scriptores certatim condiderunt, & nos opusculo jam pridem edito, haudquaquam incuriosè sumus executi.

Laus Columellę rei rusticę scriptoris, ejusque librorum commendatio.

Verum enimvero, unus omniũ

E 7

colu.

## SYMBOLA

Columella copiosissimè facundissimèq; id munus implevit; qui rem rusticam fecit eloquentem, qui non partes, non membra, sed totū corpus rei rusticæ benè compactum, ad amissim formavit; sicuti probus pictor totam imaginē effigiat; sicuti signifer signum luculentum ex omni parte consummat. Ergò hunc tanquam totius rusticationis parentem maximè veneremur, ejusq; libros jugi & quotidianâ lectione versemus, in quibus summâ cum eloquentia, summa est conjuncta doctrina, cujus lectio & frugifera est & voluptifica.

Argumentum & summa priorum  
sex librorum Columellæ.

Siquidem primis sex voluminibus omnia uberrimè & elegantissimè explicantur, quæ pertinent ad villæ positionem, fundiq; instrumenten-

## PYTHAGORICA

strumentum, ad cultum agrorum,  
culturamq; vinearum & statumi-  
na; quæ ad arbutum & pomaria,  
nec non ad insitionem arborum  
pomiferarum.

Argumentum 7. & 8. libri.

Septimus & octavus liber,  
cultum pecoris majoris & mino-  
ris, una cum medicina veterinaria,  
hoc est, totam rem pecuariam  
complectuntur.

Argumentum libri noni.

In nono de villaticis pastio-  
nibus, & ichthyotropheis, hoc est,  
piscium vivarijs, luculenter disse-  
ritur.

Argumentum libri decimi.

In decimo mellaria sive apia-  
ria, quæ philogræci vocant melli-  
turgia, hoc est, de apibus & alveo-  
rum cura, industriè conscripsit,  
vete-

## SYMBOLA

veterumq; autorum placita, secretis dispersa monumentis, scitissime collegit.

Argumentum undecimi libri.

Libro undecimo hortorum cultus numeris poeticis illuminavit, & versu heroico complexus est hortensia omnia, quæ Virgilius alijs post se memoranda reliquit.

Argumentum libri duodecimi.

Duodecimum volumen continet ea, quæ ad officium villici pertinent, qualisq; villicus esse debeat, & quid, quoquo mense ferendum sit: rursus de cultu hortorū profaica oratione conscribitur.

Argumentum libri ultimi.

Novissimus autem liber compositus est de officio villicæ epistatæ, hoc est, perfectæ villicationis, de penoribus salgamisq; condendis

P I T H A G O R I C A .

dendis, quomodo muria dura,  
quomodo oxygala, quomodo de-  
frutum fiat; item de condituris  
olivarum, deniq; moretum oxy-  
porum, quâ mixturâ concinnes.  
Nonne videtur ex omnibus mem-  
bris & numeris benè compactum,  
beneq; coagmentatum esse totum  
corpus rusticationis, ut nihil quid-  
quam sit præterea desiderandum,  
ut rusticatio in univèrsam, nulli  
tantum scriptori debeat, quantum  
Columellæ, cujus lectio digna est  
studiosis agricolationis, digna cu-  
pidis latinitatis, digna eruditis,  
digna principibus, digna regibus;  
siquidem reges, Herophilometor,  
Attulus Archelaus, nec non & Xe-  
nophon, non mediocri cura hoc  
opus excoluerunt; celeberrimus  
verò omnium externorum Pœnus  
Mago rusticationem expolivit, cu-  
jus 28. volumina memorabilia ex  
senatus

## SYMBOLA

senatusconsulto in latinum sermo-  
 nem conversa fuerunt. Nos itaq;  
 Columellam scriptorem primæ  
 tribus, primæq; notæ classicum,  
 eloquentem, copiosum, graphi-  
 cum, hoc anno publicè enarrare  
 decrevimus, ex cujus enarratione  
 mentes auditorum erudiantur, au-  
 res cōmulceantur. Ego qui in otio  
 negotiosus, in ferijs occupatus esse  
 soleo, composui annotationes in  
 hunc scriptorem complures atq;  
 intervallatas, quibus salebrosa le-  
 vigantur, tortuosa corriguntur,  
 quas, opinor, non improbabit,  
 quisquis nostra, qualiacunq; sunt,  
 probare consuevit. Cæterum tan-  
 tis per dum ista tractabimus, se-  
 cundum Pythagoræ solum, à  
 fabis abstinemus, hoc est, à pu-  
 blicis negocijs erimus feriat. Co-  
 lumellæ copulabitur satyricum  
 poëma, sermones vocant, in qui-  
 bus

simul

bus

PYTHAGORICA

bus Omne vaser vitium ridenti Flac-  
cus amico Tangit , & admissus circum  
præcordia ludit Callidus , excusso popu-  
lum suspendere naso.

Carminum Horatij commen-  
datio.

Mira est in Horatiano carmi-  
ne urbanitas , mirusq; cum erudi-  
tione multijugâ lepos , adeoq; in  
satyrâ acer & validus & amuffita-  
tus est , ut ad lucernam Venufi-  
nam, ad archetypon Horatianum,  
secuta ætas sese formaverit com-  
posueritq;. Ego quotidianis condi-  
mētis lectiones hæc cōdire con-  
nitar, daboq; operã, ut aures pabu-  
lo jucundiore permulceã, animos  
esca salubriore saginẽ, & ita more  
rituq; priscorũ, duobus ferculis e-  
rit mensa nostra semper instructa,  
quæ customachos , hoc est, boni  
stomachi pransores jucundè alent,  
& citra



SYMBOLA

& citra noxam, citraq; fastidium  
saturabunt.

Præcepta Pythagoræ.

Verum sicut à symbolis Pytha-  
goræ exorsa est oratio; ita in præ-  
ceptis Pythagoricis terminetur,  
quæ in ore atque intimis præcor-  
dijs habenda esse censeo, cense-  
bitque quisquis de seipso benè  
censerit. Hæc autem sunt quæ  
maximè probantur; Fugienda  
sunt omnib. modis, & abscinden-  
da, *Languor à corpore; Imperitia ab  
animo; à ventre Luxuria; à civitate  
Seditio; à domo Discordia; & in com-  
mune, à cunctis rebus Intemperantia.*  
His paucissimis quidem, sed salu-  
berrimis præceptis, tota vivendi  
lex & norma continetur, quæ non  
alio modo, quam si ex cælo de-  
missa forent, ediscere, observare,  
& mente condita, tenere debe-  
mus,

## PYTHAGORICA

mus, quibus non aliter quam Oraculis, utiq; credi oportet.

Oraculum quid.

Nam si *oraculum est voluntas divina hominis ore enunciata*, ut clarissimi conditores prodidère, quem tandem antistitem sanctiorem invenire sibi Divinitas potuit, quam Pythagoram? per quem humano generi præcepta præscriberet, qui adeò veridicus extitit, ut ex eo Pythagoram græco nomine nuncupatum tradant, quod non minus vera, quam Pythius Apollo loqueretur, cujus tanta fuit Majestas, ut pro Deo coleretur.

Peroratio operis.

Habeamus ergò in manibus, in ore, in pectore penitissimo hæc symbola Pythagoræ atq; præcepta, ex venerabilis ac divinæ doctrinæ sacrario reserata, si honestè si beatè,








H. Meydmann.





**P I T H A G**  
 dendis, quomo  
 quomodo oxyga  
 frutum fiat; iter  
 olivarum, deniq  
 porum, quâ mix  
 Nonne videtur e  
 bris & numeris b  
 beneq; coagmen  
 corpus rusticatio  
 quam fit prætere  
 ut rusticatio in  
 tantum scriptori  
 Columellæ, cuju  
 studiosis agricola  
 pidis latinitatis  
 digna principibu  
 siquidem reges,  
 Attulus Archelau  
 nophon, non n  
 opus excolueru  
 verò omnium ex  
 Mago rusticatio  
 jus 28. volumin



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. Patch Reference numbers on UTT